



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN

148628-B

ALT-

148628-B

2036

Per-illustris DOMINI
HENRICI COCCEJI, JC^{ti}

Consummatissimi, S.R.M.Boruss. Consil.
intim. Fac. Jur. Viad. Ord. & Antec.

27. O. 4755
Prim.

Pauculæ & Generalissimæ

POSITIONES

Pro

Explicatione Juris Gentium

COMMENTARIO,

Succincto à multis desiderato,

Illustratæ;

In quo

Prælaudatae positiones clarissimè explicantur, illarum fontes aperiuntur, ac solida Philosophia Naturalis Principia excutiuntur & demonstrantur

A U T O R E

FRIDER. HERMANNO CRAMERO.

LEMGOVIAE,

Typis & sumptibus HENRICI WILHELMI MEYERI, Aula Lipp. Typ.
ANNO 1713.



PRÆFATIO.

Scire desideras causam, LECTOR BE-
NEVOLE, quæ me ad conscriben-
dum hocce opusculum movit impul-
sivam? fiste parumper in limine pe-
dem, eam Te paucis nec ambitiosè
docebo. Res enim postular, ut in
principio Te paulisper detineam, & circa editionem
horum foliorum mentem meam clariùs paulò expri-
mam, ne rerum externarum specie decipientur incäu-
ti. Scilicet non ita pridem in Illustri Alma Viadrina stu-
dio juris operam navavi, ibique per annos aliquot Vi-
rum omni elogio majorem ac JCTum Summum, per-
illustrem Dn. *Coccejum*, & jura Divina & Leges hu-
manas explicantem, audivi. Semper mihi præ cæteris
placuit Augustissimi J. N. studium, quia communis
Eruditorum fermo erat, hoc jus esse illud cornu copiæ,
ex quo reliquorum jurium decisiones affatim proflu-
unt. Quocirca consiliis & approbationibus Illustrium
ac

ac Celeberrimorum Virorum, quos à doctrina veneror insigni, brevem & succinctum Commentarium in hacce, quas majusculis litteris impressas nunc vides, positiones, à Dn. *Coccejo* pridem non sine universali orbis eruditii applausu editas, concinnavi. E quidem novi & optimè novi, Commentatorum nomen antiquis jam tum temporibus valde odiosum extitisse, ut Regium quondam Romanis. Spero tamen, facilem me facile impetraturum ab illis veniam, qui hujus rei solidiorem paulò intellectum habent. Scias proinde, mentis candidissimæ Lector, me Commentarium præsentem ex discursu, scriptis & manuscriptis Coccejani maximam partem collegisse, eumque probatissimorum Virorum auctoritate corroborasse. Enim vero non solum unam positionem ex alia deduxi, sed sedulo ac semper ad scripta Coccejana remisi, ut evolvendo fuisse legi queant, juxta propositum vel verbo hic indica-ta. Interea ne tractes obiter hacce positiones rogo. Delitescit in illis universâ juris universalis scientia, cuius summam vir summus brevibus verbis convenientique dicti onis maiestate eleganter exornavit. Sistunt illæ principia illa, ex quibus unicè dignoscitur, quid Gentibus, quid populis, quid universæ denique hominum Societati liceat adeoque justum sit? Imò in positivo jure, pleraque inde sua principia exspectant, nisi quatchus Hu-

mani

mani Legislatores Juri Naturali permissivo, mutationi obnoxio, compedes imposuere. Sed & cō lubentiūs ad illustrationem harum positionū applicavi animum, quō magis perspexi, Jurisprudentiæ Naturalis fundamenta in illis paulo aliter explicari, quam vulgo solet. Ecquid enim excogitari melius, ecquid statui solidius poterat, quam perfectissimam Dei voluntatem actionum humanarum unicam tantum normam, atque adeo Jus Naturæ & quidem omne ex sola Creatoris Sanctissimi permissione ac prohibitione derivandum esse? Quo ipso major credo huic disciplinæ acceder dignitas, vis, auctoritas, & robur, ac si aliud principium vagum, infirmum, omnique prorsus obligatione destitutum eidem præfigatur. Ut vel hoc solo infensissimi J. N. hostes, qui febriculosis duntaxat verborum crepundiis tumidi, vel ad summum glebae Justinianæ adscripti, nihil ejus studii existere præter inane nomen autumant, suo merito in summum vultus incurvati ruborem dentur. Hisce positionibus præmisí Discursum proëmialem, in quo non solum de præstantia J. N. ejusque progressu, existentia, certitudine & auctoritate paululum differui, sed cum primis Principium Grotianum, in *Societatis custodia* possum, & communi ferè Dd. calculo hactenus approbatum, enervavi. Reliquorum principia specialius refellere pretium operæ non videbatur. Nam Hu-

P R A E F A T I O.

go Grotius juris naturalis antesignanus est, quocum plenique recentiorum gregatim paſcuntur. Etsi enim hi aliis incedant nominibus, revera tamen à Grotii principio non dissident, dum aliud mutuando vocabulum vel media conservandæ, vel effectus custoditæ societatis propo-nunt. Hunc prope communem Naturalistarum errorem solidissimis argumentis, ex intimis Philosophiæ Naturalis fontibus depromptis, primus destruxit perillustris Dominus *Coccejus*, Præceptor meus, omni per omnem ætatem obsequio colendus: ut pote qui, uti in ipso opere ostensum fuit, J. N. à sola Dei voluntate deduxit, & convenientiam ipsius & suavem harmoniam cum sacro sanctis Revelationis divinæ oraculis peculiari plane methodo monstravit. Unum superest, si quid laude dignum hic invenies, soli Dn. *Coccejo*, cuius virtus & eruditio prorsus singularis nunquam consenseret, tribuas, si quid minus; mihi. Ingenuè fateor & publicè profiteor, me idcirco ne ullam quidem vel laudis vel gloriæ particulam desiderare, sed in sinum gaudere, quando apparet, positiones, ferè divini quid spirantes, meis lucubrationibus quodammodo esse illustratas, atque ita honorificis multorum desideriis satisfactum. Illa omnia si diligenter observabis, nec murmur emittes, dabo operam, ut ne hic industriæ meæ conatus tantum subsistat. Dabam Detmoldiæ d. 20. mens. Oct. Anni 1713.

Clarif-

Clarissimo & Doctissimo Viro,

DN. FRIDERICU HERMANNO CRAMERO,
S. P. D.

HENRICUS ERNESTUS KESTNER.
JC. & P. P.

Magnam juris naturalis vim, præstantiam & majestatem, quin & hoc unicum jus esse, quo DEUS Creator & Legislator summus in administranda gubernandaque omnium rerum natura utitur, adeo certum est, ut soli lumen accendere, aut laterem lavare videantur, qui immotam hujus rei veritatem in dubium vocare conatur. Imò hoc ipsum jus incomparabile, quod solum summas summorum Principum controversias decidit, & genuinos justi & injusti fontes ex intimis invictisque principiis apertit, omnium, cujuscunque generis sint, jurium basis & unicum existit fundamentum. Ut adeo miseri sint illi, qui, aut neglectis aut non intellectis Justitiae Naturalis fontibus, statim vel ad positiva jura, vel ad auream præxin, crumenas impleturam, convolant. Jejuna est & valde hiulca jurisprudentiae pertractatio, si non eandem exornet, aut facem huic præbeat solida hujus juris cultura. Siquidem jus civile citra jus universale, quod Naturæ vocant, est domus sine fundamento, arena sine calce, ars formularis & cœco Doctorum obsequio mancipata. Quid Grotius, quid Pufendorfius, felicissimi jurisprudentiae naturalis tūm restauratores tūm interpres, in aurea regiaque hac arte præstiterint? Et summi Principes, & Gravissimi status ministri, orantesque, qui regendis Reipublicæ partibus admoti sunt, fatis agnoscunt. Hisce Duumviris non immerito jungimus. Illustrèm Coccejum, Serenissimi Poteatissimumque Borussorum Regis Confidarium intimum, & primarium in Universitate Viadrina Antecessorem longe Celeberrimum. Quam enim summus hic Vir in Illustri hac disciplina gloriam teneat, non nostris, quin potius Celeberrimi quondam Grævii verbis exprimemus. Ita enim hic in responforiis ad Illustrissimum L. B. de Fuchs status Borussiaci olim Ministru m. an. 1696. d. 6. Ian. datis, & in grammam Junioris Dn. Fuchsii, sedem studiorum eo tempore mutaturi, conceptis, ait: *Nobilissimum filium tuum spero non male collacasse tempus apud nos, & nunc ad decurrentem spatiū Academicum, & ad imbibendam illam divinam humanique juris scientiam, qua non unius genis & natiuitatis leges & confirmationes, sed totius*

totius humanae societatis jura complectitur, nullius fidei disciplinaque rectius committiri posse puto, quam viri summi COCCEJI, qui unus in hoc studiorum genere, quod ille ait, sapit, cum reliquis volent tanquam umbra. Egi quoque de hoc negotio cum Tuo filio, qui se cupidissimum doctrina COCCEIANÆ esse ostendit, alienorem tamen esse video à loco, in quo jam ante aliquot exegera annos. Malae Regiomonti quicquid conscientium restat emitiri ante iter ad exteriores, quam ad ripas Viadri. Nec ego ab ipsis sententia discreparem, si ibi esset COCCEJUS, aut COCCEJO si non par & aequalis, non longe tamen inferior. Sed qui has partes sic implere possit, quique intelligentior sit Juris Natura, Gentium & publici Germania neminem novi, & vix unquam posse reperiri persuasissimum. Et quis nescit Tanti Viri incomparabiles Juris Gentium aut Naturæ disputationes: nimis de fundata in territorio & plurium locorum concurrente potestate. De Dominio seu imperio orbis. De Guarantia pacis. De jure Belli in amicos. De armis illicitis. De jure victoriae diverso à jure Belli. De justo præliorum exitu. De jure postliminii. De postliminio in pace & amnestia. De justitia bellorum. De officio & jure mediatorum pacis. De principio Juris Naturalis vero & adæquato. De eo, quod justum est circa numerum suffragiorum. De judicio morum. De legato sancto non impuni. De ordine succedendi stemmarum illustrium in territoriis. De præcedentia. De repræsentativa legatorum qualitate. De sacro sancto talionis jure. De summa potestate. De Testamentis Principum. De tutelis Illustrium. De vero rerum pretio; Et quæ alia hujus generis extant opuscula, maximâ eruditione referta, in quibus sine omnibus & ingenii felicissimi acumen, & verborum mirificè constructorum pondus, & summa perspicuitas, & rerum gravissimam copia, & cetera omnia edecumatæ eruditio illiusque Philosophia, quæ orbem regit, decorè confluent, & amicissimo nexu conspirant. Singula autem Magnus hic JCtus velut per indicem complexus est in pauculis, quas pro explicatione Juris Gentium edidit, positionibus. Siquidem in iis solidissima totius hujus disciplinæ principia delitescunt. Pauculæ quidem haæ sunt positiones, ut in scriptio docet, sed illa paucitas paucissimis nota, vastissimum immortalis istius juris ambitum sifit. Cum vero hosce sanctissimi juris rivulos illustrare, eaque, quæ Vir summus pauculis saltem ibi indicat, ulterius ex principiis scriptisque Codicejanis demonstrare, &c, uti jam vidi, doctrinam elaborare volueris, laudem sane omnem mereris. Ego de insigni hoc labore, famam citra dubium Tibi conciliaturo, gratulor, atque ut promerita virtutis doctrinæque Tuæ præmia mox consequaris, ex animo precor. Vale, & meama. Scrib. Rintelii d. 7. Oct. 1713.

J. N. D.



J. N. D. N. J. C.
FRIDERICI HERMANNI
CRAMERI
Discursus præliminaris
^E in
POSITION^XS COCCEJANAS.

§. I.

IN comparabilem Juris primævi Gen^{eratio} tium Disciplinam reliquis præstare omnibus , extra controversiam esse reor. Fons enim ejus ac scaturigo est sanctissima Dei sanctissimi Voluntas , quam proposuit in universa rerum universitate observandam. Omnes homines , quotquot sunt , quotquot vivunt , in id nati , in id conditi , ut hoc jus colant ac custodiant , hoc est , voluntati divinæ satisfaciant . Summi Principes , in excels^o viventes , & non nisi DEO sese subjectos profitentes , hoc jure tenentur : ejusque intuitu non sunt Principes sed sunt homines : non Imperantes sed parentes : non Domini sed subditi. Illud jus est immotum nec ullis rerum mutationibus obnoxium. §. II.
Inst. d. J. N. G. & C. vid. infr. §. 5. in tantum , ut ne

A

quidem

quidem à Deo ipso ob perfectam & semel sapientissimè statutam voluntatem immutari possit ; quemadmodum docet magnus ille Grotius *de J. B. & P. L.* i. c. i. §. 10. n. 5. Illud est lumen serenum & scintilla indebilis , ex mortalium animis justitiae divinae radios emittens , ne ullum ulla juris ignorantia à pravis pessimisque actionibus excuset ; quorsum collimat Apostolus *Epist. ad Rom. cap. 2. v. 14. & 15.* per ill. D. Cocejus *in Orat. de progress. Juris Europ.* pag. 2. Hinc bene dixit , qui dixit : *In hoc jure vera juris fundamenta, quibus universum juris cujusque fastigium infinitur : In hoc fontes, è quibus veluti per canales & rivulos jus educitur : In hoc semina, quæ procedente proficienteque judicio usque in ramos postea quam latissimè sese diffundunt atque explicant : In hoc scintilla, quibus mens ubique collustratur : In hoc claves, quibus adyta jaris reserantur, conspici.* Eo neglecto, judices, quâ tales, pro lubitū agere : privilegia infinitum extendi , & cum injuria tertii concedi : dispensationes ullos citra limites fieri atque adeo omnis eriminum ratio , omnisque incestuum abominatio tolli : denique pactiones exterarum Gentium , foedera summorum Imperantium aliaeque conventionum species pro lubitū , cum Gentes exteras summasque potestates nulla juris positivi communio teneat , Grotius *d. l. i. c. i. §. 1.* violari possunt. Sed hoc jus est universale & totius mundi. *d. §. ii. Inst. d. J. N. G. & C. junct. l. 9. ff. d. J. & J.* omnes obligans ac singulos , nemine excluso. conf. Illust. D. Sam. Coceji tract. *d. princip. J. N. part. i. præm. §. 1. & part. 2. obs. 4. n. 15. invindic.* Excell. D. Kestneri *J. N. & G. c. i. §. 30.*

§. 2.

§. 2.

Illa Divinæ Majestatis Decreta in artis formam in-^{Progressus}
de ab orbe condito deducta ac tractata non apparent,
nisi quatenus limpidisima eorum vestigia in præstan-
tissima Romanorum Jurisprudentia sparsim delite-
scunt. Quocirca hæc ex principiis naturalibus Gen-
tium ac civilibus collecta dicitur in §. 4. *Inst. d. J. &*
J. & in l. i. §. 2. ff. eod. Unde verisimile videtur,
Romæ olim fuisse, qui hanc juris partem, omnibus
præferendam, ex professo tradiderint. Et quamvis
insecutis temporibus Viri Doctissimi circa hanc scien-
tiā, in formam artis redigendam, oleum ac operam
iāsumserint, illorum tamen labores valde imperfecti
sunt, quemadmodum *Balthazaris Ayale*; *Alberici*
Gentilis aliorumque scripta ostendunt. Nec hoc re-
ferendus est sat amplius grex *Casuistarum*, qui juris
planè imperiti, in decidendis casibus conscientiæ, ut
vocant, cum illo Theologiam & Ethicam perpetuo
confundunt, & quæstiones, prout incident, deci-
duant.

§. 3.

Jus Naturæ ex veræ ac solidæ philosophiæ prin-
cipiis derivandum est. Illud enim partem absolvit ^{Pars phi-}
philosophiæ practicæ; Rev. D. Budd. *Elem. phil. pract.* ^{losophia}
p. 2. cap. 1. §. 1. & 3. non in meritis contemplationibus
sed in actionibus consistentis. v. B. Struvius *E. i. th.*
53. Welsenb. ad tit. ff. d. Inst. & Jur. n. 15. Hinc
Aristot. *I. 5. Ethicorum* bene ait: *Legem Naturæ esse*
illam ipsam notitiam principiorum praticorum &
*conclusionum, que ex illis necessaria consequentia di-
cuntur, divinitas insitam mentibus humanis, non so-*

lum de moribus civilibus sed primum de agnitione Dei & obedientia Deo debita , postea de moribus civilibus , qui referendi sunt ad hunc finem , ut DEUS celebretur . vid . Rosin . Antiquit . Rom . lib . 8 . c . 1 . Ergo id non est in nostro arbitrio positum , sed ad ejus observationem ex voluntate divina , omne humanum genus obstringente , devincimur . Illud in prima creatione homini Deus implantavit , quod mediante dictamine ac usu rationis rectæ cognoscimus . Budd . d . l . cap . 4 . sect . 1 . § . 7 . D . Bodin . Disp . de jure Mundi § . 2 . pag . 5 . ant . fin .

se datur.

§ . 4 .

Existentiam Juris Naturalis in dubium vocare , nihil est aliud , quam Deum ipsum negare , cum id sit voluntas Dei , hominum cordibus indita de illis , quæ agere debemus vel omittere . Quin qui id negant , ex homine , divinam imaginem gerente , brutum formare , & hominum brutorumque , quorum est , extra legem vivere , actiones miscere intendunt . Quin nulla Gens tam barbara , nullus populus tam horridus est , qui generalem hanc menti impressam aut delere aut proflus exuere ideam possit . D . Kestner Disp . d . stat . Jurispr . § . 1 . Ut taceam , ex ipsa hominis natura legis hujus æternæ ac immortalis existentiam profluere . Quamobrem juris Naturalis cognitionem in Gentibus etiam ferocissimis & omnis doctrinæ expertibus passim Autores observant ; utielegantissime ostendit D . Coccejus d . tr . p . 1 . qu . 1 .

§ . 5 .

J . N . 6
certum .

Cum verò , ut dictum , Jus Naturæ ex sanctissima DEI voluntate solummodo sit deducendum ; quippe in

pe in qua unicè fundatur , & in quam , tanquam ad metam suam , reducitur : exinde porro fluit , esse illud certissimum cum Deo divinâque voluntate nihil certius statui possit , nec inde , nisi summè perfectum , fluat , omni perfectione ipsi Divini Numinis essentia inhærente : utpote sine qua Deus non esset Deus.

§. 6.

Proinde illi prorsus insaniunt , qui præstantissi- *J. N. con-*
mum hoc jus in tanto hominum & Dd. conflictu pro-
incerto ac vago reputare non erubescunt , additâ ra-
tione : medium id cognoscendi rationem esse huma-
nam , pro diversitate ingeniorum non semper ean-
dem . Evidem verum est , & quotidiana insuper
experiencia satis docet , quod diversi diversa sentiant ,
nec facile quis alterius rationi cedat , verum id rem
nondum ferit . Siquidem Jus Naturæ in conclusio-
nibus generalibus , claris , puris ac simplicibus con-
sistit , à nemine fano unquam negatis , per ea , quæ
docet Grot. d. l. proleg. §. 39. Quodsi itaque quis
extra rationem esse illudque negare velit , quod apud
homines ; sanâ rectâque mente præditos , dudum
evictum : tum non magis hujuserronea ac stulta opini-
oñ sanctissimi J. N. labefactat perfectionem ac certi-
tudinem , quam corruptus ægroti sensus optimam
optimæ medicinæ vim ac efficaciam . Credo simpli-
citer , ejusmodi homines dignos esse , non odio sed
commiseratione .

§. 7.

Cavendum tamen , ne quis cum hoc jure extra *J. N. con-*
oleas vagetur , eoque sepositis juribus positivis , ex
necessitate , utilitate ac indole cuiuslibet civitatis in
binandum sum Jure posse.

troducatis. add. §. 2. *Inst. d. J. N. G. & C. Struvius d. E. i. th. 56.* in omnibus casibus specialibus, indies oocurrentibus, decidendis utatur, tum enim facile errari potest, nec tamen vitium adest in Jure Naturæ sed in hominibus, ejus Sacro Sancta Decreta atque applicationem non intelligentibus. Et ideo, quod principia J. N. generalia sunt, jurisprudentiâ positivâ opus fuit, uti sat bene exponit; Celeberr. Kestner. Fautor meus singulariter colend. *d. Disp. §. 6. & Hahn. ad Wesenb. tit. ff. d. J. & J. n. 17. ad verba: non cum solo gentium jure.*

§. 8.

Sunt principia J. N. Cirea fundamentum hujus Juris Dd. multi multa variant. Ipse ego non aberrabo, si dixero, tot prope esse J. N. principia, quoꝝ sunt Doctores. Vir omni elogio major, *Hugo Grotius* qui omnium primus J. N. tractationem postliminio quasi reduxit, hujus juris obligationem *ex custodia societatis, humano intellectui convenientem*, tanquam ex certissimo fundamento primaque origine deducere nititur: utpote cum nulla societas, & sic nec illa, que genus huminum aut populos complures inter se colligat, sine jure subsistere possit. v. Grot. *d. l. proleg. §. 7. 8. &c. 23.* Quod principium *Hobbesius, Cumberlandus*, duo Angli, *Pufendorffius* aliique complures, et si novum nomen & ille quidem mutuum metum; vid. Hobbes *d. civile cap. 1. A. 2. &c. seqq.* Ille mutuum benevolentiam; Rich, Cumberland *de LL. Nat. cap. 1. §. 4.* Hic mutuum officium; Pufendorffius *d. J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 15.* substituerint, sequuntur; quemadmodum demonstrat Ill. Gocceius *d. trad. p. 1. qu. 2. &c. 3.*

& 3. pass. conferri meretur *cit.* *Diss.* D. Kestn. §. 2.
ubi variorum principia gregatim posita videbis.

§. 9.

Equidem Societatem rationalem, hominibus ^{reipublica} priam, id est, à Natura inditam esse, extra conten- ^{principia} tionis ferram ducitur; sicuti *infr. pos. 5. n. 4. in comm.* ^{J. N.} clarus adstruitur. Verum illa non est hujus æterni perpetuique Juris primum, unicum, verum & adæquatum principium. Talè demum illud appellatur, ex quo omne Jus Naturæ, non igitur aliqua ejus ratio, ultimo per legitimam consequentiam infertur atque in illud denique iterum resolvitur. Si ergo appareat, ex *custodia Societatis* non omnia J. N. capita posse derivari, nec in illam iterum resolvi: simul apparebit, hanc Societatis custodiam non posse humano generi pro adæquato J. N. principio obrudi.

§. 10.

Illam, quam tetigi, Societatis custodiam non esse firmum ac solidum J. N. principium, dictionstratur. (r.) ^{Societas} ^{non est} ^{principio} Tota Societatis natura ac indeoles consistit in communi ^{am. J. N.} hominum utilitate, & quidem duratura; conf. Grot. *d. prot.* §. 18. Ut ergo privatus privatæ sive utilitati licet renunciat; *L. 21. C. mandat. pos. 6. infr.* ita omnes communi. Tantum igitur abest, ut homines ex communi isthac commodo obstringantur, ut potius eidem renunciare queant pro libitu, aut tu mihi ostendas vias, quæ id facere prohibeat. Si Deum dicis, eo ipso principium obligatorium ac vinculum J. N. ponis in voluntate Dei, non igitur in custodia societatis nec promotione utilitatis publicæ. Non proinde mihi, principium J. N. in iussu divino consilere, sed tibi,

tibi , illud in custodia societatis latere , probandum est . Quod enim voluntas Dei obliget homines omnes , adeoque sit principium juris hujus universalis , hoc ipse asseris : at quod societas sit fundamentum J. N. ego nego , adeoque cum me argumentis convincas oportet . Verum causam non derelinquo . Nam (2.) principio societatis admisso , accurata distinctio inter Jus Nat. Gentium Secundarium ac Civile , cum omnia ad custodiam Societatis & promotionem utilitatis communis tendant , planè tollitur . Quin (3.) hac ratione J. N. valde incertum , nec universale nec semper idem foret . Quod enim huic Reipublicæ utile , alteri damnosum esse poterit . Singulis igitur rebus-publicis ac civitatibus juxta suam structuram ac formam applicandum foret , alias communis utilitas non promoveretur . Ita (4.) potentissimus , hac societatis custodiâ non indigens , alios pro lubitu opprimere eisque sua vi , flammâ ac cædibus afferre posset . Nam in J. N. non peccaret , quia communi utilitati ac societati , ex qua omnis obligationis ratio hic ducitur , renunciavit . Per naturam ex societate obligari nequit , qui in illa non vivit , nec ipsius gaudet juribus . Sic (5) posito hoc principio , nulla oritur obligatio , quæ semper jussum superioris præsupponit . At hic in societate nullus est superior , non Deus , quia hic excluditur , non alijs , quia extra DEum nihil humano genere superius . Enim vero (6) ex hac societatis custodia æque inferri possunt turpia , à sanctis Naturæ Decretis aliena : Ut promiscui concubitus ; incestus ; Sodomia ; adulteria &c. Illa enim ad augendam propagandamque societatem multum conducunt :

ducunt : dum his modis communis utilitas , quam pro scopo habet societatis custodia , nimioperè promovetur. Imò (7) de omnibus criminibus dispensari posset : utpote cum humana societas de suo jure prohibitu disponat. Vel si (8) id demum J. N. vocas , quod non turbat societatem , sequitur : nullum crimen naturaliter capite vitâque puniri , nec bella geri , nec in hoc interfectiones , sine quibus tamen ea expeditiri nequeunt , adhiberi posse. Cum ita omnino societari personæ eximantur , consequenter ipsa societas turbetur. Ipse Adamus (9) cum solus esset , se ipsum occidere potuisset , non enim in J. N. in societate consistens , peccâisset. Illi autem qui inter J. N. primævum & hodiernum distinguunt , rem non capiunt. Sed & (10) si societas esset adæquatum J. N. principium ; non posset aliquod jus extra illam fangi : cum elumbe sit disciplinæ principium , ex quo integra disciplina , ejusque capita deduci nequeunt. At non tantum jura inter Deum & homines , verum & inter hos & Angelos reperiuntur , quæ tamen ex custodia societatis neutiquam derivabis. (11) Eremitæ , et omni societati renunciaverint (12) latronum collegia , quamvis humanæ societatis hostes , & extra eam sint , non minus tenentur æternis Naturæ Decretis. Porro (13) Idololatria naturaliter licita esset , quia ejus turpitudo ex custodia societatis non demonstratur. Denique (14) nec cultus parentum ; nec (15) libertas matrimoniorum ; nec (16) prohibitio polygamiae , aliaque infinita ex societatis principio deducuntur. Ut igitur pateat ; Societatis custodiam pro adæquato Juri Naturali principio æstimari neutiquam posse : quia

sublato principio jus durat, ex alio vinculo derivandum. conf. Ill. Dn. Coccej. *laud. tract. d. princip. Jur. Nat. p. 1. qu. 2. §. 9. &c. & p. 2. sect. 2. §. 101. in vind.*

§. 11.

*societas non
quidem
principium
j. N. cognos-
cendi.*

Enimverò & illi *Juris Gentium* Dd. aliquid humani patiuntur, qui inter principium J. N. essendi ac cognoscendi distinguunt, illudque in voluntate divina, hoc autem in socialitate collocant. Nam (1) non potest vi ipsius vocabuli principium appellari, quod aliud adhuc supponit: ergo nec *societas*, voluntatem Dei præsupponens, justos principii naturalis juris terminos complebit. Certe (2) *societas* est vel extra Deum vel à Deo constituta. Illo casu tu probes vim, quæ illam constituerit, eique jus, omne humanum genus obligaturum, concederet: Hoc *societatem* pro principio haberè non posse, ultro fateris, quia ita illa non est ante velextra Deum sed à Deo; hoc est: illa non anterior, non prior sed Deo posterior est. Verum principium appellatur, quod omnium primum, sive ex quo sequuntur & deducuntur reliqua, non quod ex alio oritur. Nec enim principium est, si gigneretur aliunde; ut loquitur Cicero in *Somn. Scipion. cap. 8. post med.* Manifesta proinde rationis pugna, quin ipsius vocabuli contradic̄tio est, *ex custodia societatis omnia j. N. præcepta ultimò posse deduci* & tamen Deum præsupponi debere: vel ut alibi dicitur: *Socialitatis fundamentum ita perspicuum esse, ut omnia j. N. præcepta ex illo facile subsumptione deduci queant.* Accedit (3) quod DEus plura à nobis requiriuerit, quam quidem *societatem*: hinc non potest hæc dici principium J. N. unicum verum & adæqua-

æquatum. Ergo dum (4) Deus alia præter societatem constituit, ex quibus voluntatem ipsius, jus Nat, facientem, conspicimus, incongruum videtur, ex uno aliquo facto voluntatem Dei demonstrare, ex aliis non item: vel si posterius concedis, simul admittis, socialitatem non esse unicum ac adæquatum principium, de quo contentionis ferrā dueitur. Sed & (5) quando quis querit: cur debeant homines esse socia-biles? certè ad societatem ipsam refugium sumere ne-quit. Nam custodia societatis ex ipsa societate non ostenditur. Aliud est principium probans, aliud res, probatione indigens. Si proinde dicis, hanc esse deducendam ex voluntate Dei v. *posit.* V. n. 4. non video, cur hic canon procedat in socialitate, fallat in reliquis. Forsitan (6) nisi fallor, quando juxta senten-tiam Dnn. dissentientium voluntas Dei est supponen-da: eo ipso innuitur, principium primum & obligato-rium esse voluntatem Creatoris, Socialitatem verò actionem, Numinis, per quam voluntas Dei inno-tescit. Atmodus probandi non est principium. Hoc est, ex quo reliqua descendunt: Ille hoc saltem ex-plicat. In hoc est obligatio: In illo nulla. Hoc juri Naturæ proprium: Ille omnibus disciplinis est com-munis. Alias principium J. N. ex Logicorum, Physi-corum &c. doctrina, nedum ipsa Grammatica, voces ad declarandam voluntatem suppeditante, desumen-dum foret. *vid. D. Coecej. d. tr. qu. 2. §. 35. & seqq.* Et hæc quæstio, fuit genuinum objectum amicæ col-lationis, Anno Seculi hujus secundo & sequentibus inter Ill. Dn. Sam. Coceejum ac Excell. D. J. F. Ludo-vici institutæ; add. D. Cocceji *tr. sape citati p. 2. &*

Reolut. dubiorum circa hypothesin de princ. juris Naturae: quibus dubia Ludoviciana. aliis impressa typis, inserta sunt.

§. 12.

J. N. principium est
certius, solidius omniumque primum est.
Hoc subtili ingenio detegit præteriti ac hujus Seculi Gloria,
per Illustris Dominus HENRICUS COCCEJUS,
DEZ.

Aliud proinde principium est quærendum, quod certius, solidius omniumque primum est. Hoc subtili ingenio detegit præteriti ac hujus Seculi Gloria, per Illustris Dominus HENRICUS COCCEJUS, JCtus incomparabilis, Præceptor meus omni devo-tionis cultu prosequendus, & cōsistit in VOLUN-TATE SANCTISSIMI CREATORIS: quā tota J. N. ratio absolvitur, & ex qua omnia J. N. capita, ipsaque adeo societatis custodia derivari & in quam omnia iterum resolvi possunt. Quemadmodum ex paucis positionibus, eum in finem à Dn. COCCEJO conscriptis, & in prælectionibus Grotianis solidissimè more solito iaculatis, plenius ac luculentius apparet. DEUS nobiscum, & cum Spiritu suo.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. I.

Omnis de jure quæstio è refertur, quid licetum sit? Id enim jus dicimus. Homines auctem potentius agendi à Natura instructi licet agunt, vel omittunt, quicquid possunt; donec aliquis, qui prohibere recte potest; prohibeat aliquid agi vel omitti.

COM-

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Esse D E U M ac supremum aliquod Numen, ratio & Gentium consensus, & continuata à primis usque hominibus traditio & denique insita mortalibus persuasio abundè docent. v. Cicero *d. Nat.* Existentia
Des proba-
tur (1) ex
operationi-
bus ani-
mae
Deor. I. i. 2. & 3. Ipse homo suam intuens naturam, in se deprehendit mentem variis operandi facultatibus conceptuque entis infinitè perfecti pollentem. Sunt eam non esse à nihilo: nec à seipso: nec à casu fortuito: nec ab ulla mundi potentia. Igitur tamdiu solidè concluditur; *Inest mihi idea entis meipso perfectioris, ergo extra me existit ens me ipso perfectius:* donec animam suarum esse idearum, operationum & passionum causam efficientem probetur, eique intelligendi volendique facultas absque existentia & concursu entis perfectioris asseratur. Ecquid porro religionem animis, ecquid terrorem conscientiis incuteret, nisi extra nos ens existeret, infinitis modis perfectius? Hæ autem mentis passiones omnino causam supponunt. addi potest Bachman. *Theol. Nat. cap. 3. & 4.* Et Hulsius *de princip. credendi L. i. sect. 7. passim.*

§. 2.

Sed & indubitate entis supremi existentia ex ipsa (2) ex fa-
ciliatate cor-
poris. humani corporis structura evidenter satis appetit. Latet in eo insignis motus & liberrima operandi facultas. Cum igitur homo eandem sibi non concesserit, nec illam absque concursu alterius causæ, à qua

B. 3

agen-

agendi principium fluit, in actum dēducere queat, nec in æternū ea duret, nec semper eadem permaneat, sed variis casibus, extra hominis potestatem ac voluntatem positis, obnoxia sit, inde pariter necessaria formatur consequentia: Ens esse superius multoque præstantius, à quo illa facultas corporisque potentia promanavit, & semel concessa sapienti modo conservatur.

§. 3.

(3) ex cre-
atione hu-
mari
verbi,

In primis Divinus Naturæ Autor præclarissimo creationis Mundi rerumque in eo visibilum opere suam existentiam hominibus, ceu indicio æterno, commonstravit. Homo paululum circumspiciens, intimisque animi recessibus contemplans stupendum hujus universi apparatum, nedium incomparabilem ejus ornatum & admirandam concinnitatem, denique immotum ordinem atque accuratam omnium rerum ad certum finem directionem; in mente sua statim convincitur: DEUM esse & superius Numen atque Artificem esse, à quo ea, quæ in nostrum cernendi sensum cadunt, tanquam à prima Causa, producta, adhuc sapienter conservantur & reguntur. Est inquam certissima causarum causa, quæ rebus initium dedit, & fines singulis præscripsit. Utique enim in aliquo primo subsistendum est. vid. Pufend. d. Offici hom. & Civ. c. 4. §. 2. Et hic modus existentiam Numinis demonstrandi omnium efficacissimus est, teste D. Buddæo in Elem. phil. theor. tom. 2. part. 6. cap. 3. §. 9. Quo argumento ipse Apostolus ad Rom. c. 1. v. 19. & seqq. utitur.

§. 4.

§. 4.

Et profectò dicendum est , tum ea , quæ in nobis , (4) ex de-
tum ea , quæ extra nos existunt , nostrumque visum
undiquaque cingunt , aut à casu quodam fortuito ex-
dum. ad absur-
titisse , aut causam habere Sapientissimam . Prius af-
firmare , foret absurdum : cum casus fortuitus omnem
sapientiam excludat , quæ tamen ex eorum produc-
ctione , ordine ac conservatione apparet . Posterius
dicere , est nominare ens sapientissimum & perfectis-
simum , scilicet DEUM .

§. 5.

Posteaquam igitur infinito huic Numinī , quod re-
vera existit , omniumque , etiam minimorum , accu-
ratissimana curram habet , placuit , ad meditandam ad-
mirandamque suam gloriam , quin & exequenda sa-
pientissimæ suæ voluntatis placita homines procreare ,
eosque in medio universi hujus centro terræque sinu
collocare : simul illos potentias agendi vel omittendi
naturalibus benignissime instruxit , & non solum cor-
pori mirandas vires attribuit , sed cum primis animas
divinitatis suæ particulam infsevit . Quas naturæ fa-
cultates manus & pedes & tota corporis figura men-
tisque operationes clare evincunt . Quocirca illarum
existentiam hic demonstrare nolo , cum omnium
Gentium iudicio , hominum confessione , quin pro-
priâ cujusque experientiâ sint perspectæ & in con-
fesso .

§. 6.

Ex hoc naturalium facultatum , quas in nobis ex-
istere voluit summus rerum Arbitr̄ , complexu ea-
rumque fine prima elicetur veritas : HOMINES ,
HOMINIS ,
qua possunt
agere lo-
cū.
QUIC-

QUIQUID POSSUNT, JURE POSSUNT.
 Nam (1) contradicitorum foret, liberam agendi facultatem à Natura habere, nec tamen per naturam agere posse: cum datâ potentia & ipse actus datus intelligatur. Accedit (2) Naturam nihil frustra fecisse.
pos. 4. n. 5. At illæ facultates extra usum frustra concessæ viderentur, nec hujus actionis divinæ, aliquis finis demonstrari posset. Quin (3) si non licet, necessariò causa, actiones nostras impediens, doceri debet. Quod enim facultatem, quod motum agendi habeamus, patet. Hoc ipsum ego, tu, ille, nos omnes videmus. Et sic non est probandum. At quod talis facultas naturalis sit restricta, nondum apparet, sed hoc dubium, adeoque demonstrandum. Hinc (4) pro libertate agendi pro libitu tamdiu præsumitur, donec probetur restrictio, & ex ipsa contrarium natura sequitur, licitum id esse, quod non est prohibitum. v. D. Coccej. *d. tract. p. I. qu. 3. §. 9.*

§. 7.

Donac ap- Etsi autem isthæc naturalis agendi potentia omnis
parcas pro- permissivi juris fons sit ac principium *pos. II. ibique*
hibitio. *comm. §. 3.* non tamen illa se in infinitum extendit, sed suis limitibus circumscripta, tamdiu durat, donec ejus *prohibitio* ritè doceatur. Hinc possunt mortales vi concessæ *facultatis* de se ipsis ac rebus suis, ut libet, statuere, sed non possunt ob *prohibitionem* Creatoris semet ipsos destruere, nec aliorum involare in jura, turbare cæteros, invadere, lædere, violare, nisi quidem eâ, quâ fruuntur, libertate abuti, in latronum numero collocari, & luporum leonumque naturam imitari velint, conf. Celèb. Gundling. *d. Effic. met. c. 2. §. 2. 3.* *§. 8.*

§. 8.

Quemadmodum igitur naturalis hominum, abs-
que ulla prærogativa in hanc lucem emissorum, sta-
tus in summa libertate ac æqualitate consistit. *comm.*
ad pos. II. §. 2. exinde irrefragabiliter sequitur: hu-
us primævi status restrictionem ex *voluntate DEI*,
prohibendi vim ac jus habentis, tantùm oriri; *ra-*
iones vide in comm. ad pos. III. §. 3. ante illam vero
nullum agendi impedimentum esse, neque adeo in-
ustitiam concipi posse, quorsum collimat Apostolus
ad Rom. c. 4. v. 15. *siquidem inquiens ubi non est lex,*
bi nec legis transgressio est.

*Quæ sit à
DEO.*

§. 9.

Hinc si quis me in illius naturalis potentiae exer-
citio impedire velit, cui id à Deo non est permisum;
vid. comm. ad pos. III. §. 1. terminos propriæ faculta-
tis jurisque concessi notoriè excedit & ostendit, non
ne sed seipsum esse injustum; *pos. VII. ibique comm.*
§. 3. cum illi in suas facultates, non in meas jus com-
petat. *pos. V. n. 2.* Sola sanctissima Dei voluntas hic
estut malos vel bonos, permisso vel prohibitoſ de-
terminat.

*Non ab
deo, nisi ex
concessione
DEI.*

§. 10.

Abit proinde in sumum illorum sententia: qui
ura Naturæ in intrinseca bonitate vel turpitudine
consistere nugantur; *Grot. d. l. L. I. c. I. §. 10. n. I.*
Cum enim (1) jus Naturæ & quidem omne ex *DEI*
voluntate sit solummodo derivandum: patet ultero,
ante vel extra illam nullam juris rationem esse vel fin-
i posse. (2) Omnes hominum actiones naturaliter
ant indifferentes per §. 6. & quod mali sint, dénum
C ex

*Hinc in-
trinseca
bonitas re-
siderat.*

ex voluntate Creatoris prohibente fluit. *per* §. 8. (3)
 Malum est, quod prohibitum non quod permissum.
 Illa igitur prohibitio oritur vel à Deo vel ab alio : si-
 ve quod eodem recidit , aut à Creatore aut à Crea-
 tura. Non ab alio sive creatura , quia nemo , nec
 potentissimus Spiritus , ipse creatus , meas actiones
 restringere potest. Ergo à Solo DEO Creatore; qui
 id , quod dedit , pro lubitu prohibere , potest. *comm.*
ad pos. III. §. 3. Planè (4) si Deus ad intrinsecam quan-
 dam bonitatem obligaretur , aliquid necessariò vel
 præcipere vel vetare teneretur , atque ita ens , Deo
 vel coœvum vel simile , nedum superius , cogendi
 vim habens , statui deberet , quod sine summo sce-
 lere admitti nequit. *conf. Pufendorff d. J. N. & G. L.*
I. c. 2. §. 6. Sed nec (5) potest doceri , in quo consistat
 illa intrinseca bonitas. Frustra igitur jactatur , quod
 probari nequit. Non apparere & non esse , morali-
 ter idem est. *add. Ill. D. S. Cocceji tract. d. prime. J.*
N. quæst. 2. §. 42. Ut proinde immota sit regula : *Jus*
bis vocari , quicquid est licitum ; nec à Deo prohibi-
tum.

TEXTUS COCCEJANI

Pof. II.

In qua quæstione duo sunt distincta : (1) Facul-
 tas illa naturalis agendi , quæ , quatenus non ap-
 paret ritè prohibita vel restricta , est facultas legi-
 tima , & idem quod vulgo dicitur , *jus con-*cessi**

cessivum. (2) Prohibitio ejus, qui jure prohibere & terminos facultati huic ponere potest, quod vulgo dicitur *jus præceptivum*. Ex illa *libertas*; ex hac *necessitas* agendi vel non agendi seu obligatio nascitur. Utrumque continetur l. 7. ff. d. legib. & c. 4. dist. 3.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

In positione præcedenti per illustris Dominus Cocceius normam juris genuinam solide explicuit ejusque principium. Hoc consistit in voluntate DEI, omnes creaturas, quæ illam intelligere possunt, obligante. Unde simul patet: ob mentis defectum J. N. in bruta non cadere. Sed quæstionis inculcatæ duo membra sunt diversa. (1) Permissio seu agendi facultas. (2) ejus restrictio sive prohibitio. Hæc nullatenus possunt nec debent confundi, nisi omnem juris rationem turbare velimus.

*Facultas
agendi à
prohibitio-
ne est di-
stincta.*

§. 2.

Ex quo colligitur: *Hobbesii*, Malmesburiensis Philosophi *jus omnium in omnia*; quod solam respi-ciendo permissionem corporisque robur fingit, inde que bella, mutuas cædes injurias &c, tanquam ex naturali libertate fluentes, deducit: & hinc mutuum metum natum esse, eumque causam fuisse ait, quod homines in civitates se se receperint, ad cuius proinde custodiam ex pacto obligarentur. Unde concludit.

*Hobbesius
et Spinoza
refutati-
tur.*

C 2

popu-

QUICQUID POSSUNT , JURE POSSUNT.
 Nam (1) contradictorium foret , liberam agendi fa-
 cultatem à Natura habere , nec tamen per naturam
 agere posse : cum datâ potentia & ipse actus datus in-
 telligatur. Accedit (2) Naturam nihil frustra fecisse.
pos. 4. n. 5. At illæ facultates extra usum frustra con-
 cessæ viderentur , nec hujus actionis divinæ , aliquis
 finis demonstrari posset. Quin (3) si non licet , ne-
 cessariò causa , actiones nostras impediens , doceri
 debet. Quod enim facultatem , quod motum agen-
 di habeamus , patet. Hoc ipsum ego , tu , ille , nos
 omnes videmus. Et sic non est probandum. At quod
 talis facultas naturalis sit restricta , nondum apparet,
 sed hoc dubium , adeoque demonstrandum. Hinc
 (4) pro libertate agendi pro libitu tamdiu præsumi-
 tur , donec probetur restrictio , & ex ipsa contrario-
 rum natura sequitur , licitum id esse , quod non est
 prohibitum. v. D. Coccej. *d. tract. p. 1. qu. 3. §. 9.*

§. 7.

Donac ap- Etsi autem isthæc naturalis agendi potentia omnis
parat pro- permissivi juris fons sit ac principium *pos. II. ibique*
bibitio. *comm. §. 3.* non tamen illa se in infinitum extendit ,
 sed suis limitibus circumscripta , tamdiu durat , do-
 nec ejus *prohibitio* ritè doceatur. Hinc possunt mor-
 tales vi concessæ *facultatis* de se ipsis ac rebus suis ,
 ut libet , statuere , sed non possunt ob *prohibitionem*
 Creatoris semet ipos destruere , nec aliorum invola-
 re in jura , turbare cæteros , invadere , lædere , vio-
 lare , nisi quidem eâ , quâ fruuntur , libertate abuti ,
 in latronum numero collocari , & luporum leonum-
 que naturam imitari velint , conf. Celeb. Gundling. *d.*
Effic. met. c. 2. §. 2. 3. §. 8.

§. 8.

Quemadmodum igitur naturalis hominum, abs- Quae sit a
DEO.
qué ulla prærogativa in hanc lucem emissorum, sta-
tus in summa libertate ac æqualitate consistit. *comm.*
ad pos. III. §. 2. exinde irrefragabiliter sequitur: hu-
jus primævi status restrictionem ex voluntate *DEI*,
prohibendi vim ac jus habentis, tantum oriri; *re-
tiones* vide in *comm. ad pos. III. §. 3.* ante illam vero
nullum agendi impedimentum esse, neque adeo in-
justiam concipi posse, quorsum collimat Apostolus
ad Rom. c. 4. v. 15. *siquidem* inquiens ubi non est lex,
ibi nec legis transgressio est.

§. 9.

Hinc si quis me in illius naturalis potentia exer- Non ab ar-
lio, nisi ex
concessione
DEI.
citio impedit velit, cui id à Deo non est permisum;
vid. *comm. ad pos. III. §. 1.* terminos propriæ faculta-
tis jurisque concessi notoriè excedit & ostendit, non
me sed seipsum esse injustum; *pos. VII. ibique comm.*
§. 3. cum illi in suas facultates, non in meas jus com-
petat. *pos. V. n. 2.* Sola sanctissima Dei voluntas hic
actus malos vel bonos, permisso vel prohibito de-
terminat.

§. 10.

Abit proinde in fumum illorum sententia: qui
Jura Naturæ in intrinseca bonitate vel turpitudine
consistere nugantur; *Grot. d. l. L. i. c. i. §. 10. n. 1.*
Cum enim (1) jus Naturæ & quidem omne ex *DEI*
voluntate sit solummodo derivandum: patet ulter,
ante vel extra illam nullam juris rationem esse vel fin-
gi posse. (2) Omnes hominum actiones naturaliter
sunt indifferentes per §. 6. & quod mali sint, dénum
C ex

Hinc in-
trinseca
bonitate re-
gatur,

ex voluntate Creatoris prohibente fluit. *per* §. 8. (3) Malum est, quod prohibitum non quod permissum. Illa igitur prohibitio oritur vel à Deo vel ab alio: si-
ve quod eodem recidit, aut à Creatore aut à Crea-
tura. Non ab alio sive creatura, quia nemo, nec
potentissimus Spiritus, ipse creatus, meas actiones
restringere potest. Ergo à Solo DEO Creatore; qui
ad pos. III. §. 3. Planè (4) si Deus ad intrinsecam quan-
dam bonitatem obligaretur, aliquid necessariò vel
præcipere vel vetare teneretur, atque ita ens, Deo
vel coœvum vel simile, nedum superius, cogendi
vim habens, statui deberet, quod sine summo sce-
lere admitti nequit. *conf. Pufendorff d. J. N. & G. L.*
i. c. 2. §. 6. Sed nec (5) potest doceri, in quo consistat
illa intrinseca bonitas. Frustra igitur jactatur, quod
probari nequit. Non apparere & non esse, morali-
ter idem est. *add. Ill. D. S. Cocceji tract. d. princ. J.*
N. quæst. 2. §. 42. Ut proinde immota sit regula: *Jus*
bic vocari, quicquid est licitum; nec à Deo prohibi-
tum.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. II.

In qua quæstione duo sunt distincta: (1) Facul-
tas illa naturalis agendi, quæ, quatenus non ap-
paret ritè prohibita vel restricta, est facultas legi-
tima, & idem quod vulgo dicitur, *jus con-*
cessi-

(2) Prohibitio ejus, qui jure prohibere & terminos facultati huic ponere potest, quod vulgo dicitur *jus præceptivum*. Ex illa libertas; ex hac *necessitas* agendi vel non agendi seu obligatio nascitur. Utrumque continetur l. 7. ff. d. legib. & c. 4. dist. 3.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

In positione præcedenti per illustris Dominus Cocceius normam juris genuinam solide explicuit ejusque principium. Hoc consistit in voluntate DEI, omnes creatureas, quæ illam intelligere possunt, obligante. Unde simul patet: ob mentis defectum J. N. in bruta non cadere. Sed quæstionis inculcatæ duo membra sunt diversa. (1) Permissio seu agendi facultas. (2) ejus restrictio sive prohibitio. Hæc nullatenus possunt nec debent confundi, nisi omnem iuris rationem turbare velimus.

*Facultas
agendi à
prohibicio-
ne est di-
stincta.*

§. 2.

Ex quo colligitur: *Hobbesii*, Malmesburiensis Philosophi *jus omnium in omnia*; quod solam respi-ciendo permissionem corporisque robur fingit, indeque bella, mutuas cædes injurias &c, tanquam ex naturali libertate fluentes, deducit: & hinc mutuum me-tum natum esse, eumque causam fuisse ait, quod ho-mines in civitates se se receperint, ad cuius proinde custodiam ex pacto obligarentur. Unde concludit:

*Hobbesius
et Spinoza
refutati-
sunt.*

C 2

popu-

populum in civitatem hanc omne jus suum transfusisse, & sic principem nihil injuste agere &c. & erroneous & impium esse, quia ita existentiam J. N. effectivè negat: ut demonstrat D. H. Coccejus *in diff. Heidelberg. d. jure omnium in omnia*: cuius summa extat in Dn. S. Cocceji tract. d. princ. Jur. Nat. p. 1. qu. 1. §. 3. & seqq. Eodem si non majori erroris luto fascinus fuit *Spinoza*, satis refutatus à Pufend. d. J. N. & G. l. 2. c. 2. §. 3.

§. 3.

status Naturae est status libertatis, at non licenzia.

Certè abominor philosophiam, quæ jus hominum in statu naturæ solâ potentia definit, cupiditate, appetitu, ita ut tantum cuique liceat jure, quantum valet potentia, nihilque prohibitum, nisi quod nemo cupit vel potest. Deum rogo, det hominibus mentem sanam in corpore sano, ne speculationibus his nimium immersi, sensim sine sensu catastro atheorum reperiuntur inscripti. Licitum quidem mortalibus, in tali statu facultates, à Natura concessas, pro lubitu in actum deducere, sed tamdiu, donec earum adsit restrictio: cum limites illis Rex omnium Regum posuerit. *comm. ad pos. I. §. 8.* Nec enim fas est, ostensio corporis robore, ruere in infinitum, & præeunte conficto *jure omnium in omnia*, contradictionem involvente, eò, quo pes fert, dissolutè evagari.

§. 4.

J. N. concessum modo?

Ex permissione sive potentia naturali, oritur legitima facultas pro lubitu agendi. Et jus nostrum nihil aliud est, quam libertas illa naturalis. Hanc naturæ potentiam Grotius *d. l. L. i. c. i. §. 4.* Vocat moralē; Jus Romanum in *l. 4. pr. ff. d. stat. bomin. libertatem:*

tatem: quæ est fons omnis juris ac principium. Nam si libere possum agere, etiam possum licet & justè. Si ita non possum, ergo id, quicquid ago, injustè illicite. Omnis agendi facultas, omnisque membrorum humanorum extensio sensum liciti vel illiciti, permissi vel prohibiti involvit. Talis agendi facultas, nondum ~~restricta~~, appellatur *jus concessivum*.

§. 5.

Rursus ex *prohibitione à Deo facta*; *comm. ad pos. I. §. 8.* & probata *comm. ad pos. IV. n. 1. §. 1.* oritur obligatio agendi atque necessitas. Et quidem *agendi*, si præcipit, vel *mittendi*, si prohibet. Nam omnis voluntas, dum agit, aut aliquid vult aut non vult. Puffend. d. L. 1. c. 4. §. 2. *in med.* Quemadmodum igitur permissio, quæ vocatur *jus concessivum*, consistit in libertate; §. *præc.* ita prohibitio, quæ appellatur *jus præceptivum* sive *decretorium* in necessitate, in obligatione, in vinculo vertitur. In hoc jure non ago, quando volo, sed agere debeo, utut nolim. Hic facultas naturalis non est libera sed restricta. Hic est necessitas non libertas.

J. N. præceptivum unde?

§. 6.

Isti duo juris fontes exemplo demonstrari possunt. Scilicet permissio sive *jus concessivum* accurate in dominio elucer. Hoc pro lubitu uti & abuti possumus. Competit nobis in hoc facultas disponendi de ipsa substantia. De nostro licet dicimus legem. *pos. VI. infr.* Prohibitio seu *jus præceptivum* apparet ex pactis & conventionibus. Nam hic semper agere vel non agere debemus. Budd. d. tr. c. 2. §. 5. Hic adstringimur necessitate alicujus rei agendæ. *pr. Inst. d. obligat. D.*

*Illustratio
astrisque.*

C 3

Coccej.

Coccej. *Hypomn. Inst. l. 3. t. 14. §. 1.* Hic sublata est libertas sive naturalis agendi vel omittendi facultas per prohibitionem justam, à Deo factam, qui voluit servari pacta. *per pos. VI. ibique comm. §. 6.* Puffend. *d. l. L. 3. c. 4. §. 2.* Utrumque jus, videri potest in usufruētu; qui est: *jus utendi fruendi*: Hactenus exprimitur *jus concessivum* sive libertas agendi, dum fructuarius instar Domini fructibus ad suum beneplacitum uti potest: *sed salvā substantia: pr. Inst. d. usufr. L. 1. ff. eod.* His verbis illa naturalis facultas restringitur, dum fructuarius rem conservare & integrum præstare obstringitur. Ex quo apparet *jus præceptivum*. Non minus utrumque nobis ostendit definitio libertatis. *vid. §. 1. Inst. d. jur. person. juncta L. 4. ff. d. stat. hom. ubi dicitur, quod sit (1) naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet; En jus permis- vum! (2) nisi quid vi aut jure prohibetur: En jus præceptivum!* Et sic in multis aliis.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. III.

Jus hoc prohibendi competit soli rerum Creato-
tori, & cui is concessum id voluit.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

*Imperan-
tes sunt
Des Pica-
rii.*

Facultas prohibendi sive impediendi naturales ho-
minum potentias nulli creaturæ per se & à se com-
petere potest. Quicquid autem summæ in hister-
ris

ris potestates agunt, id auctoritate divinâ exequuntur. Quam ob causam Dii vocantur, Deique Vicarii; *Sap. 6. v.5. Ps. 82. v.6.* cum regimen suum, ex gratia divina derivent, & omne jus ipsorum Dei gratiâ i. e. Dei autoritate & loco von Gottes wegen ipsis competit. D. Coccej. *disp. d. summ. pot. §. I. juncto prov. c. 8. v. 15. 16. Rom. c. 13. v. I.*

§. 2.

Enimvero omnes homines in statu naturæ sunt æquales & inter se pares, veluti Reges. Äquales sunt, qui æqualia possunt. Possunt æqualia, qui æquale jus possident. At vero omnes homines, eodem modo absque ulla potestatis ac ordinis differentia in domicilium terræ producti, & iisdem perfectionibus iisdemque defectibus conspicui, jure æquali fruuntur. Et ut robustiores corporis robore infirmiores: ita infirmissimi, ingenii viribus robustiores non raro superant. Quin & robustiores uno actu & ictu infirmissimi, & infirmissimi uno saepius momento robustissimi evadere possunt: ut proinde hac de re Natura nihil certi determinaverit. Sunt igitur omnes homines naturâ inter se æquales. Nullus in alium gaudet ~~gaudet~~ Imperio, nec sceptra tenet, sed omnes sunt homines & subditi unius Domini, puto Dei.

§. 3.

Hinc (1) solus Creator Divinus, cuius omnipotentia est in confessio, facultatem, quam dedit, cum non potuerit dare, pro libitu restringere & certo modo a lege dare vel auferre valet. Grot. *J. B. & p. prol.*
 §. II. (2) In cuius potestate est, dare omnia, in ejus potentia sit, dare partem, sive qui potestatem in omnia habet,

*Homines
naturâ
sunt aqua-
les.*

*Dens so-
lus prohi-
beth homi-
num po-
tentias.*

habet, etiam in actiones hominum habeat, oportet. Dum ergo (3) omnes creaturæ suas facultates à solo Deo accepere, nihil à se ipsis: hinc præter eum nemo illas impediare potest. (4) Nulli jus in opus Creatoris debetur, nisi tantum Creatori, qui id produxit. Accedit (5) quod extra Deum nulla vis sit, quæ universo humano generi leges præscribere & in transgressores pœnas statuere possit. v. Budd. d. p. 2. c. 4. sect. I. §. 3. 4. Porro (6) jus Naturæ est lex, quæ per naturam absque superiore concipi nequit. per §. 1. qualis est solus sapientissimus hujus universi conditor. Ex quo indubie sequitur: principium J. N. obligatorium ex hac *prohibitione Divina* non aliunde oriri. In quod omnes Gentes consentiunt; ut elegantissime prebat. Ill. D. Sam. Coccejus *in prælaud. tract. d. princ. J. N. part. i. pass.*

§. 4.

Enimvero ex dicto Cocceji tractatu locisque ibi allegatis abunde constat: Gentiles ipsos jus Naturæ non ex societatis custodia, vel alio aliquo principio incerto vago ac infirmo sed ex sola voluntate *Divina* deduxisse. Idem fecuti sunt JCTi Romani, qui in suis legibus obligandi principium ex voluntate superioris eliciunt. Lex dicitur regula, à superiori præscripta. Plebiscitum à plebe. SCtum à senatu. Prætorum Edicta à prætore. Principum placita à principe. v. tit. Inst. d. J. N. G. &c. §. 4. & seqq. Struv. Ex. 2. tb. 6. &c. D. Kestn. d. tr. c. 1. §. 6.

§. 5.

Sententia
Dd. J. N.
referatur.

Evidem Dd. J. N. omnes Hoc non negant: *DEO esse parendum.* Quippe quod nemo abnuet. Statuunt tamen

tamen plerique illud in obscuro manere , quomodo
Dei voluntas probetur. Igitur socialitatem voluntati
divinæ subiiternunt , illamque huic quasi in subsi-
dium porrigunt. Sive clarius: dicunt , *voluntatem*
Dei esse principium J. N. essendi ; *Socialitatem* autem
cognoscendi. Verum his supra jam refutatis , Deum
voluntatem suam toti humano generi declarâsse , lu-
culenter demonstrabitur in positione sequenti & ex-
egesi , ei subjuncta.

TEXTUS COCCEJANI

Pof. IV. N. I.

Voluntas autem ita prohibendi ostenditur tūma
ex verbis: tum verò (1) ex motibus & instin-
ctibus intrinsecis in homine à natura conditis.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Ostensum fuit in antecedentibus , facultatem pro-
hibendi , sive naturales hominum potentias re-
stringendi soli competere DEO. At non suffi-
cit prohibendi (1) facultatem esse demonstratam , sed
insuper requiritur , prohibentis (2) ut voluntas probe-
tur. Nam non sequitur ; Deus , ceū ens omnipo-
tens , potest prohibere , ergo etiam vult. Facultas
agendi non semper involvit actum. Proinde , Deum
voluisse hominum potentias restrictas , nunc ostenden-
dum est.

*A posse ad
esse non
valat con-
sequentia.*

D

§. 2.

*Voluntas
declaratur
verbis &
factis.*

§. 2.

Constat, & ex invictis rationibus patet, declarationem voluntatis expediri certis signis: quæ sunt quasi pictura animi, quibus mediantibus alteri alterius voluntas nota redditur ac genuinus voluntatis sensus depingitur. Ejusmodi signa sunt *verba & facta*. Nam non solum verbis, sed & factis voluntas cognoscitur, per Ill. Coccej. *Disp. d. Eo, quod just. in dub. sect. I. §. 3. & 4.* Ita quoque DEO placuit, voluntatem suam verbis declarare & factis. Verba faciunt *revelationem* nec sola sufficiunt ad jus universale: at factis hoc dignoscitur. Ergo jus Naturæ sive universale ex facto naturæ non nudis verbis deducendum, et si hæc illud illustrent ac confirment.

§. 3.

*Jus positivum anni-
versale re-
ficatur.*

Nimirum mera verba absque facto divino non constituunt jus, ex quo omnes obligantur. (1) Possunt illa in notitiam omnium pervenire ac singulorum, & non possunt. Igitur priori casu adest obligatio, non posteriori, per naturam lex nequit obligare, nisi de illa constet. Imò (2) etiamsi ea sint, tamen ob defectum honestæ & decentis educationis, itidem effectus cessat. (3) Verba saepius sunt ambigua, facileque memoria possunt excidere, atque sic obligatio non contineretur intra certos fines. Porro (5) verba possunt prohiberi, quemadmodum saepius tyranni fecerunt, consequenter omnia hominum sub his viventium, facta extra vim pœnæ essent. Ut proinde *jus positivum universale*, quod nonnulli fingunt, in auras vanescat. Per ea, quæ dicit Ill. Coccej. *in d. Resol. dub. ad §. 3. n. 5. &c.* Multò sapientior fuit supremus

mus rerum arbiter, quam ut jus, ad finem mundi duraturum, omneque humanum genus obligaturum, solis verbis promulgare voluerit,

§. 4.

Super est, ut dispiciamus, quomodo voluntas DEI, omnes homines obligatura, intelligatur. Scilicet illa cognoscitur ex ipso *Nature factō*, veluti indicio perpetuo operum Creatoris; quod est: *naturale intelligendi medium, ita in conspectum omnium veniens, ut omnes ac singuli, qui unquam nati vel nascituri sunt, voluntatem Numinis supremi exinde percipere queant.* Placuit enim Majestati Divinæ in naturalibus voluntatem suam magis factis quam verbis declarare. Tametsi autem in revelatione jus deprehendatur universale, cui omne humanum genus adstringi debuit: Illud tamen ex lumine rationis quoque appareat, & repetitionem voluntatis divinæ, factō declaratæ, continet, nec obligat nisi illos, qui notitiam ejus consecuti sunt; conf. Grot. d. l. l. c. i. §. 15. n. 2. & tamdiu pro particulari merito censetur, donec universalis ejus revelatio probetur.

§. 5.

Talia facta sunt motus & instinctus intrinseci, à natura in homine conditi: quos ipse Grot. l. i. cap. 2.

§. i. n. i. jam agnoscit & *prima naturæ* appellat.

Instinctus sunt spiritus animales, homines non ad cupiditatem solum sed & ad aversationem ducentes. Unde Dei voluntas accurate demonstratur. Nam dum Creator indidit creaturis stimulum illas ad ali-

7. N. pro-
basur ex
facto Na-
tura.

Veluti in-
stinctibus
intrinsecis.

D 2 quid

quid agendum vel non agendum moventem vel deterrentem: ex eo solidè concluditur, Deum aut velle aut nolle, eas aliquid agere, ne ille motus frustra creatus videatur. *per pos. IV. n. 5.*

§. 6.

Magnatio. Ostenditur hoc cum primis ex illis instinctibus quatuor generalibus, in universo animantium generē deprehensis. Sic quia Deus implantavit stimulum acrem ad conjunctionem cum individuo diversi sexus: quia impressit instinctum ad procreationem & propagationem humani generis: quia indidit generantibus motum ad educationem prolis: quia denique insevit propensionem ad corporis defensionem: ex his omnibus luculenter constat, Deum velle, ut tales instinctus ad actum traducantur. Et eatenus ius naturae dicitur jus, *quod Natura, id est Deus, omnia animalia docuit;* *in pr. Inst. d. J. N. G. & C. & in L. I. §. 3 ff. d. J. & f.* Ita Cain, se mortem meruisse, ex conscientiae motu judicavit. *Gen. c. 4. §. 13. & 14.* Grot. *d. l. I. c. 2. §. 5. n. 3.* D. Coccej. *Diſ. d. Sacro-sanc. talion. jur.* *§. 29.* Ipse Gentium Apostolus *ad Rom. c. 2. §. 14. & 15.* ad hunc modum provocat: dum Gentes ex conscientiae motu se accusare, & sic legem naturalem agnosceret tradit. Et Grot. *d. l. prot.* *§. 20.* ob injustitiam in tyrannorum pectoribus conscientiae tormenta & laniatus describit.

§. 7.

Dubium refutatur. Neque vero quisquam dixerit, saepius in homine reperiiri motus vitiosos, v. g. vindictæ cupiditatem, alieni concupiscentiam &c. atque adeo ex hoc probandi modo hominem Ethnicum, cuius mores ad

ad vitia sunt proclives, non posse convinci, Etenim (1) motus, à Natura inditi, non sunt vitiosi, nec pugnant cum recta ratione, cum Deus nihil vitiosè creaverit. Sed illa vitia fluunt ex libidine ac mortum depravatione. Hinc (2) optimè ex solo rationis lumine ostendi potest: nemini sium esse auferendum, etsi Gentilis contra hoc præceptum peccet. Imò (3) homines revelationem habentes, illud Numinis decreatum, sequendo affectus pravos & corruptos multo tis violant., aliorumque vivendi spongias illicite exprimunt.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. IV. n. 2.

Ex actionibus Creatoris; ipsa scil. rerum, quæ nobis apparent, creatione & conservatione; quin ipsâ earum naturâ & circumstantiis.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. I.

Modi, de quibus in hac positione mentio injicitur comprehenduntur sub uno Naturæ facto, sive sub *actione Creatoris*, à qua motus, jam explicati, vid. pos. præc. non excluduntur. In omni autem actione considerari debet (1) ipsa actio (2) ejus finis (3) media (4) natura & circumstantiæ. Non ergo hic sunt quinque modi probandi. ut alicu-

D 3

*Requisita
actionis.*

bi

bi dicitur , sed unus , nimirum factum Naturæ sive Dei. *comm. ad pos. præc.* §. 4. At hæc actio declaratur illis modis , quos ex Logicorum doctrinæ exprimur.

§. 2.

*Agens
mali, quod
agit.* Igitur dum Deus agit , ultro vult id , quod agit , & quicquid actui necessariò cohæret. Positâ actione , ponitur agentis voluntas. Actio , ceu effectus , supponit voluntatem , tanquam causam. Quod Deus agit , nihil est aliud , quam actio , à voluntate Dei perfecta. Igitur probatâ Dei actione , simul ejus voluntas probatur.

§. 3.

Illustratio, Hinc ex eo , quod Deus duplicem sexum creavit , eique facultatem ac propensionem ad cohabitandum indidit : probatur , Numen Divinum velle , ut talis potentia & motus expediatur , Lactant. *L. 6. cap. 23. in princ.* Seminis humani nullus est usus , nisi ut ex illo partus formetur. Ubera , lacte ebullita , fœminis non alia de causa sunt data , quam ut hac ratione partus , qui usque ad maturitatem in utero materno contineri nequit , alatur. Aristot. *L. 1. polit. c. 8.* Terra , & quæ ex hac proveniunt , hominis causa creata sunt ; utpote qui ipso actu in medio ipsius à Natura positus est . *v. pos. V. n. 1. ibique comm. §. 2.* Linguae concessio monstrat , nos esse sociabiles. Ipse Gentium Apostolus *ad Rom. c. 1. v. 20.* creationem allegat , dum existentiam voluntatis divinæ sive J. N. Judæis inculcat. Et Servator indissolubilitatem nexus conjugalis Pharisæis demonstratus , eodem argumento utitur *Matth. 19. v. 6.* ibi : *quod Deus coniunxit , homo ne separet. Quo ipso*

ipso hanc matrimonii naturam Deum voluisse ostendit: ut vir & uxor in perpetuum cohabitent, nec nisi morte ab invicem separentur. Et sic in aliis.

TEXTUS COCCEJANI

Pof. IV. n. 3.

Ex actionum fine necessario vel probabili, qui est ipsa intentio ac voluntas agentis.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Creator, quicquid agit, non fortuitò agit, sed semper ob certum finem. Hic est anima I. N. <sup>ab eo
miss habet</sup> ut ratio spiritus legis civilis. Finis, quem sibi proponit agens, est ipsius intentio. Id enim verè intenditur, propter quod aliquid agitur: nec ulla concipitur actio, certo fine destituta, cui obtinendo destinata est actio. Hinc *finis*, ut Philosophi dicunt, *primum in intentione & ultimum in executione*. Ex eo itaque actionis fine naturaliter & omnium evidissime voluntas demonstratur. Per Ill. D. Coccej. d. *Disp. d. Eo, quod justum est in dubio sect. I. §. 4.* Ut proinde recte dicat Grot. l. 2. c. 7. §. 2. n. 1. à fine in moralibus optimam esse probationem.

§. 2.

Ille finis vel unicus tantùm est, vel concurrunt plures. Si est *unicus*, demonstrat voluntatem certam & indubitatam. Non potest non is finis esse necessarius,

rius, qui est unicus. Finis hominis creati est, ut gloria divina celebretur. *comm. ad pos. V. n. 3. §. 1.* Finis creatorum frugum, ferarum &c. est, ut homo exinde sustentetur. *pos. V. n. 1. ibique comm.* Finis familiarum naturalis est, ut cujusque familiæ membra jura certa sint. Finis membrorum genitalium est viri & mulieris commixtio humanique generis propagatio. *comm. ad pos. V. n. 5. §. 1.* Et sic porro.

§. 3.

*real proba-
bilem.*

Verum si *plures* unius rei fines sint, hoc casu finis non est indubius sed probabilis, infimum certitudinis gradum ostentans. Et ita attenditur probabilior, qui in moralibus pro certa voluntate hactenus habetur. Sufficit, quod de majori certitudine non constet. Utut enim ex obscurō nullum jus nascatur, cuin de voluntate nondum constet: attamen quia plena certitudo hic haberi nequit, & nihilominus aliquis finis apparet, is admitti debet, qui verisimilior est, per ea, quæ habet. D. Coccej. *Disp. d. præsumt. qualit. feudal. tit. I. §. II.* Enim verò dum unus finis probabilior altero, adeit ratio, quæ illum huic præfert, non in contrarium. Huc spectat certitudo prolis ex justis nuptiis. Grot. *J. B. & P. l. 2. c. 7. §. 8. n. 1.* probatio per testes; D. Coccej. *d. Dir. prob. negat. c. 1. §. 1.*

TEXTUS COCCEJANI

Pos. IV. n. 4.

Ex mediī necessitate, quia constituto jure etiam medium illud constitutum intelligitur, quod unicum & necessarium est ad jus illud obtinerendum.

COM-

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Voluntas Sanctissimi Numinis permittens vel prohibens ulterius evincitur ex necessitate medii, obtinendo fini inserviente. Etenim Deus finem, quem intendit, nunquam assequeretur, nisi & media permitteret. Per naturam non existit finis, nisi media antecedant. Inde illud Philosophorum : *qui serio vult finem etiam vult media* : Et è contra : *qui auferret media, ille non vult serio finem*. Si ergo constet : Deum aliquid velle vel nolle à nobis agi: solidè concluditur, eum velle vel nolle omnia, quæ huic fini inserviunt. v: Grot. d. l. 2. t. 5. §. 5. in fin. Cæteroquin Deus jus, quod constituit, frustra ordinasset, id quod dicere ejus natura perfectissima non permittit. Profectò si finis est licitus, media illicita esse nequeunt. Grot. d. c. 5. §. 24. n. 2. Hobbes d. c. 1. art. 8. Ut igitur pateat, nullum reperiri argumentum fortius, quam quod ex necessitate medii infertur.

§. 2.

Ex hac medii necessitate, Justitia bellorum; *comm.* *Eiusfratio*: *ad pos. XIV. §. 3.* D. Coccej. *Diss. d. justit. bell.* §. 5. & seqq. & in his occidendi, vastandi prædandi; D. Coccej. *Diss. d. jur. victor. div.* §. 7. &c. Legatorum Sanctiones; D. Coccej. *Diss. d. Legat. sanct. non impun.* c. 1. §. 9. porro justitia præscriptionis immemorialis; D. Coccej. *J. B. & P. pag. 28. qu. 3.* Obligatio juris educandi, *comm.* *ad pos. V. n. 5. §. 3.* defendendi se suumque corpus; *pos. V. n. 3.* ibique *comm.* Alberic. Gentil. *E* *d. Jure*

d. Jure Belli L. I. c. 13. natura dominii cuivis, & infantibus & furiosis ; contra Grot. l. 2. c. 3. §. 6. naturaliter competentis ; uti ex Discursu D. Coccej. *ad d.* §. 6. me observasse lator ; Jus transitus ; D. Coccej. *d. J. B. & P.* pag. 72. qu. 1. Ipsa societas cum publica ; *comm. ad pos. V. n. 4.* §. 1. tum privata ; *comm. ad pos. V. n. 5.* §. 1. Summa potestas ejusque sanctimoniorum ; *comm. ad pos. XIII. c. 2.* Surrogatio successionis in locum juris occupandi ; *comm. ad pos. X. §. 1. 2.* medium concludendi in collegiis per pluralitatem votorum ; D. Coccej. *Disp. d.* *Eo, quod justum est circa numerum suffrag. sect. 1. §. 1. & seqq.* & complura alia suis locis exponenda , per legitimam consequentiam accurate ducuntur. Et hujus principii usus in jure positivo sive theoriam sive praxin respicias , omnium latissime patet.

§. 3.

cassola.

Attamen illa medii necessitas in infinitum haud extendenda , verum ex voluntate divina ducenda, in que eam reducenda est. Ergo requiritur (1) *ut tale medium sit unicum* consequenter & necessarium : veluti occisio invasoris , vitam in hoc puncto ademtri. Si proinde plura competant , reliqua vero facto vel vitio ipsius hominis absint , illud , quod superest , praecepsè Jus Naturæ non importat. (2) *ut competit sine injuria innocentis alterius* , qui æque facultatem & jus , à DEO concessum , tueri potest. Sola igitur necessitas J. N. semper non facit, licet quandoque excusat.

TEX-

TEXTUS COCCEJANI

Pof. IV. n. 5.

Ex natura ipsius Sanctissimi Creatoris, qui perfectissimus est, & nihil frustra fecisse intelligitur.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Tandem potentiis hominum naturalibus, aliquid, *convenio.*
ut lubet, agendi vel omittendi, normam ponit.
Natura ipsius Creatoris, qui perfectissimus est.
Hinc quicquid Naturæ huic perfectissimæ contraria-
tur, id non potest non esse Jure Naturali prohibitum,

§. 2.

Exinde Jura inter Deum & homines flunt; quæ in *DEUS, &c.*
cultu divino consistunt. Cum igitur in creatore lateat
non solum summa perfectio, ex ipsius essentia descen-
dens, nullique mutationi obnoxia, sed & ab illo homi-
num existentia omnipotensque potentia sit: sequitur, eum
toto corde colendum esse, & maximâ, quæ ab homine
proficiisci potest, devotione venerandum. Nam cul-
tus est estimatio perfectionis. Si ergo Deus nollet cul-
tum, eo ipso vellet, se pro Deo non haberi, imò vellet
naturam suam everti, quod absque læsione Majestatis
Divinæ concipinequit: *conf. Ill. Coccej. d. tract. p. i.*
q. 2. §. 40.

E 2

§. 3.

*Sanctificatio sabbati ex 7.
N. demonstrari se quis.*

Etsi verò primum jus sit, quod vult Divinus Naturæ Autor, se scilicet *COLI*, propter quod hominem ipsum condidit, eumque secularibus & privatis iuribus, ne quasi gratis sed et felicius id perageret, dedit; v. D. Coccej. *Disp. d. summ. pot. §. 7. & 14.* certum tamen diem, huic cultui destinandum, ex aeternis Naturæ Decretis non intelligimus. v. *Ill. D. Thomas. Disp. d. jur. Princ. circ. adiaph. c. i. §. 1.* D. Budd. *ELEM. phil. præcl. p. 2. c. 4. sect. 3. §. 16.* etsi Christiani diem solis in Christi resurrectioni memoriam huic cultui consecraverint. Exc. Stryck. *de Jure Sabb. cap. I. n. 148. &c. ibique cit. Spencer.*

S. 4.

*Dens nihil
fecit fru-
stra.*

Cum igitur summa Creatoris summi perfectio sit perspecta, & stupendo creationis opere, in sensu omnium incurrente, ita manifestata, ut de ea non nisi mentis expers dubitet: ex eo concluditur; DEUM nihil *FRUSTRA* fecisse nec facere potuisse: quippe quod contra naturam ejus perfectissimam militat. Nam agere frustra & absque certo fine, non sapit perfectionem sed notoriam imperfectionem in Deum non cadentem. Scilicet Creator nihil omnino in vanum creavit, sed omnia ad ordinatos suos fines destinavit.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. V. n. i.

Hinc à natura concessa & constituta sunt (i) Humano generi jus plenum in hanc terram ejus-

eiusque res, fructus, feras &c. Singulis verò equale jus occupandi, quod nullius est: non autem, quod alterius est.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Haecen^{is} per illustris D. Coccejus explicuit principium J. N. obligatorium, nimirum voluntatem DEI. pos. III. ibique comm. Monstravit simul modum, per quem eandem intelligimus; pos. IV. Nunc sequuntur jura ipsa, & quidem primum illa, quæ sine alio hominis facto à natura nobis competunt, de quibus ergo ad hanc positionem erit agendum.

Connexio.

§. 2.

Sapientissimus universi hujus opifex humano generi jus plenum in hanc terram ejusque utilitates concessit: idque probatur (1) *ex actione Creatoris*; qui homini facultatem fructibus terræ omnibusque ejus commodis utendi dedit, eumque in meditullio posuit. *per pos. I. & IV. n. 2.* ex quo appareret, Deum vobis, ut talis facultas, eique annexus appetitus, in tactum deducatur, *per comm. ad pos. IV. n. 1. §. 5. junct.* *comm. ad pos. IV. n. 2. §. 2.* (2) *ex bujus actionis fine*; *pos. IV. n. 3.* Dum omnia propter hominem creata sunt, §. sequ. homo autem propter Deum. Inde Deus à Philosophis vocatur: *prima causa efficiens & ultimus finis*: quia ab ipso & propter ipsum sunt omnia. Et Lactant: *d. l. l. 7. c. 4.* *Magna igitur*, ait, *& recta, & admirabilis est vis & ratio & potestas hominis,*

*Terra domini
niam
competit
hominibus.*

E 3

propter

propter quem mundum ipsum, & universa, que cuncte sunt, Deus fecit: tantumque illi honoris habuit, ut eum præficeret universis, quoniam solus poterat Dei opera mirari. (3) *ex mediæ necessitate;* pos. IV.—n. 4. cum homo sine necessariis vitæ subliiis, ex rebus ac fructibus terræ capiendis, nec vivere, nec genus humanum propagari possit. Nemo ex vento vivere præsumitur. (4) *ex natura perfectissimi Creatoris,* nihil frustra facientis pos. IV. n. 5. At omnino incomparabile mundi systema, egregiis & nunquam fatis admirandis suis dotibus condecoratum, produxisset, si hominem, qui totius universi quædam imago, quin compendium est, & quasi μικροκόσμος, ab usu earum arcere voluisset.

§. 3.

Non spiritibus nec bruis.

Certum igitur est, solis hominibus illud terræ ius ac dominium competere. Solus enim homo ad exercitium ejus instructus est; id quod facultates cum corporis tum animæ, quin ipsa hominis natura ac constitutio satis commonistrant. Nulli spirituum, corpore destitutorum, usui esse potest, cum spiritus terræ utilitatibus non indigeat, ergo soli homini debetur. conf. Cicero L. 1. off. c. 7. Sed nec in bruta illud ius cadit; et si terræ fructibus alantur, cum & hæc hominis causa sint facta. Gen. c. 1. v. 26. &c. Pj. 8. v. 7. &c. Profectò cum universa hæc machina facta sit, ut in cernendi sensum cadat, quo solus homo, præter animalia, pollet, hujus causa eam factam esse dicendum est; ut demonstrat per Ill. D. Coccej. Diff. de Domin. Orb. c. I.

c. i. §. 2. Conferri meretur Bachmanni *Theolog. Natur.* c. ii. §. 1. &c. D. Lindheimer *Diss. inaug. ad b. l.*

§. 4.

Neque verò movere scrupulum potest: hominem ipsum propter Deum esse creatum, ergo sui ipsius causa Deum omnia fecisse. *Enim* verò mundus aspectabilis, omniaque opera visibilia duntaxat propter hominem sunt producta: ast hic illis in laudem & gloriam summi opificis atque effectoris uti debet. v. 1. *Cor. 10.* v. 31. Hoc demum sensu homo propter Deum in hujus orbis sinum collocatus dicitur Bachm. *d.l. §. 6.*

Resolutio dubia.

§. 5.

Sicuti autem perfectissimus Rerum Autor universæ hominum societati jus plenum in hanc terram ejusque res, fructus, feras &c. benignissime concepsit. *Supr. §. 2.* ita singulis & unicuique individuo seorsum jus occupandi id, quod est nullius, constituit, dum cuique propria organa ac facultatem occupandi attribuit. Quicquid ergo unusquisque è rebus creatis, quæ antea nullius erant, præviâ singulari apprehensione occupavit, id est, in potestatem suam accusitudiam rededit, earum possessionem & dominium ita acquisivit, ut alterius facultas inde esset in totum exclusa, & res talis non amplius nullius sed occupantis propria diceretur. Quocirca alius in hanc nihil juris jam prætendere potuit, quia per occupationem in dominium occupantis plenum transiit: v. D. Coccej. *Diss. de præsumt. qual. feud. i. 2. §. 1.*

*Singulis
competit
jus aquata
occupandi,
quod nullius est.*

§. 6.

Ex hoc fonte fluunt tria Juris Romani principia (1) *Juris Romani Regula 2.*
rem nullius cedere occupanti §. 12. Inst. d.R.D.

Siqui-

Siquidem in re nullius nulla est facultatum collisio,
Quamobrem occupatio ejus omnino licet, cum occu-
pans in facultate sua naturali à nemine impediatur:
non à Deo; quia is jus occupandi rem nullius concessit,
& organa corporis ad apprehensionem ejus necessaria:
non ab alio; quia si aliis in re tali haberet jus, illa non
esset res nullius sed ipsius propria atque sic mea occu-
pandi facultas non libera sed restricta. Ibi ergo est ap-
prehendendilibertas, ubi non est abstinendi necessitas.

§. 7.

Regula II. Deinde (II.) *duos ejusdem rei Dominos*
in solidum esse non posse L. 3, §. 5, d. Acqua poss.
L. 5, §. 15, ff. commod. Nam eo ipso, quod quis in soli-
dum est Dominus, alterius facultas planè excluditur
& res tota potestate domini cingitur. Imq; dominij ef-
fectus plenissimam involvit dispositionem de ipsa rei
substantia. At ille tollitur, si tu eodem modo de re,
ut ego, disponere posses. Profecto est contradicto-
rium: Dominum rei esse in solidum, & tamen alteri
in eadem ius competere.

§. 8.

Regula III. Et (III.) *toties fieri debere divisionem,*
quoties pluribus eadem res facta est com-
munit: L. 15, §. 18, d. *damn. infect.* Etenim hic
unus non potest rem totam retinere, cum alias alterius
ijs interverteret, qui tamen ijs, in re ipsa radicatur,
possidet. Quin nec potest disponi, nisi de suo pos. V.
n. 2. & pos. VI. At hic suum est in parte rei non in toto.
Ergo

Ergo concursus plurium facultatum plures facit partes. Et hoc est genuinum principium Juris accrescendi. confer. §. 8. *Inst. d. legat. l. I. pr. d. usufr. accr. l. 80. d. legat. 3.*

§. 9.

*Jus omni-
um in o-
mnibus re-
ficiuntur.*

Ex his suppositis *Hobbesii* jus omnium in omnia sensu specialiori in nihilum resolvitur. Illius veritas demonstratur (1) *ex actione Creatoris*; pos.

IV. n. 2. qui non unum hominem sed plures creavit, eosque æqualibus agendi facultatibus instruxit, unde apparet, ipsius esse voluntatem, ut unusquisque concessâ potentâ ita utatur, ne alterius facultas planè & plenè sit exclusa: quia alias plures facultates in vacuum condidisset. v. pos. *IV. n. 5. ibique comm. §. 4.* (2)

ex natura ipsius terræ; *d. n. 2.* quæ ita est creata, ut ipsius utilitates ab uno consumi nequeant.

vid. Dn. Lindheimer: *ad hunc locum* (3) *ex fa-*

cultate hominum limitata; pos. *I. II. & IV.*

n. 2. ibique comm. Unus homo facultatem omnium; habere nequit, nedum omnes unius rei in solidum;

per §. 7. supr. Et profecto, si unus haberet potestatem

omnium, tum reliqui nihil retinerent, qui tamen sunt æquè homines, ac vivere debent, non ex vento, non

ex unius gratia, sed ex rebus, à Deo creatis, omnique humano generi sufficientibus. (4) *ex manifesta*

contradictione: Nam admissò jure omnium in omnia, dico res terræ esse meas, consequenter non esse tuas. Nimirum tibi contradico & jus tibi in illis

F

com-

competere nego. Non igitur hic est jus sed controversia de jure, v. D. Coccej. *d. tract. p. I. q. I. §. 4.* Vera autem sententia est, *omnibus hominibus competere* jus plenum in terram ejusque proventus, *singulis* æquale jus occupandi, quod nullius non quod alterius jam factum est. *Per jam tradita.* Ex quo conficitur, regulas Juris Romani ipsissimi esse juris Naturalis.

§. 10.

Et communio primævæ. Inde quoque error eorum, qui ab initio omnia fuisse communia existimant, atro notatur lapillo, & ostenditur (1) *ex facto summi creatoris*; *pos. IV. n. 2.* qui unicuique homini à Natura propriam occupandi facultatem concessit, *pos. I. ibique comm. §. 6.* quam proinde in actum deducere potest, *per pos. IV. n. 5. ibique comm. §. 4.* At verò admissâ communione primævâ omne jus occupandi celsasset; quod probatur (2) *ex natura communionis*; Commune est, quod alter alteri, æquale jus habenti, intervertere nequit. D. Kestn. *J. N. c. 2. §. 4.* Hinc homines nil quicquam sine consensu totius humani generis è communione ista auferre & in usus suos convertere nec loca terræ vacua occupare potuissent, sed omnia in commune conferre debuissent. (3) *ex acquisitione dominiorum*; quæ sit interveniente proprio facto; *pos. I. V. n. 2. & VI. & apprehensione supr. §. 5. conf. I. I. §. 1. & 2. ff. d. Acqu. vel amitt. pos.* (4) *ex absurdo*; Ita sanè pauperes contra divites hodieque communi dividendo agere, & falcem in

in illorum messem ad imperrandam partem suam immittere possent; uti hanc sententiam per Ill. Coccejus in *prælect. Grotian.* ad L. 2. c. 2. in princ. solidissimis argumentis adstruxit.

§. II.

Ita scilicet & illis, qui soli Adamo jus plenum in hanc terram concessum esse, ejusque posteros id ab eo jure hereditario accepisse contendunt. Quod evincitur (1)

*Ex solis-
rum Adae-
ni domi-
num.*

ex facto ipsius Naturæ; pos. IV. n. 2. quæ non soli Adamo sed & reliquis hominibus, postea itatis, easdem occupandi facultates dedit, quas proinde æquè ac ille tamdiu licet exercuere, donec apparent prohibitæ. Pos. I. ibique comm. §. 6. & 7. At vero illas ratione fuisse restrictas, appetat (2) *ex facultate*

Adami limitata; d. n. 2. qui per naturam non potuit dominium totius mundi omniumque terræ partium occupare, atque ita nec de non acquisitis disponere nedum alios in occupando impeditire (3) *ex fi-*

ne creati mundi; pos. IV. n. 3. qui solius hominis causa est factus; *Supr. §. 2. & 3.* At stante Adami dominio, uxorem is ac liberos ab usu terræ contra intentionem supremi Numinis excludere eosque vivendi mediis exuere potuisset: cum dominium solitarium absolutam involvat facultatem disponendi de ipsa substantia citra alterius consensum. Ergo nunquam fuit nec esse potuit commune terræ dominium neque Adami proprium. Quam sententiam falsam, omnibus autem hominibus æquale jus occupandi res nullius

concessum esse , ex sacrof sanctis divinæ revelationis oraculis , in ipsa hominum creatione patefactis , clarè perspicimus v. Gen. c. 1. v. 28. 29. 30. juncto hymno Davidis Ps. 8. v. 6. 7. 8. & 9.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. V. n. 2.

Cuique Jus in suas res & actiones earumque
commoda: non in alterius.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. I.

*Jus compre-
nit casque
in sua.*

Jus cuivis in res suas , actiones earumque commoda esse à Natura constitutum , communis hominum sensus & consensus abundè docet . Sed & probari id potest : (1) *ex actione Creatoris* ; pos. IV. n. 2. qui hominibus singulis facultatem propriam & organa agendi necessaria dedit , quibus proinde tamdiu licite utuntur , donec appareat prohibitio . pos. 1. (2) *ex fine hujus actionis* ; pos. IV. n. 3. Ideo Deus singulis concessit facultatem , ut unusquisque rerum suarum liberrimum habeat arbitrium , & actionū commoda solus percipiat . Nam alias nec pacta , nec disposiciones essent licitæ utpote cum de nostro non alieno disponamus . pos. VI. (3) *ex mediī necessitate* ; pos. IV. n. 4. Natura intendit propagationem generis humani per individua , educationem liberorum &c. qui

qui finis obtineri non posset, nisi cuique jus in res suas & operarum suarum utilitates competeteret, veluti unicūm istum finem obtainendi medium, quin se ipsum conservandi. (4) *ex natura perfectissimi Creatoris*; pos. IV. n. 5. Frustra Deus singulis hominibus potentiam agendi propriam concessisset, si nollet cuique rerum & actionum commoda relinquerē. Imò naturæ ipsius perfectissimæ planè adversatur, actionis utilitatem alii concedere, quam à quo profecta est.

§. 2.

In hac positione Dominus COCCEJUS *actiones à rebus* non sine summo ingenii acumine distinguit. Nam alias REI vocabulum est generale, omnia, quæ existunt, ambitu suo complectens. Sed hic per *ACTIONES* intelligit facultates illas naturales, in actum deductas, ac unicusvis seorsum datas; vid. Dn. Lindheimer *Disp. inaug. ad b. l.*

*Actiones
sunt fa-
cultates in
actioni de-
ducta.*

§. 3.

Equidem Mundi Effecto res ipsas à natura non divisit, nec inter homines æqualiter distribuit v. Dn. Coccej. *Disp. d. proport. s. 2. in pr.* Sed unicusvis separatim jus eas, quatenus adhuc sunt nullius, occupandi concessit pos. I. & V. n. 1. *ibique comm. §. 5. & 6.* Verum actiones cuique individuo separate sunt datae id eo, ut id, quicquid illis unusquisque acquirit, sibi, ut suum, retineat, & de eò pro lubitū disponat. pos. VI.

*Et cuique
seorsum
data.*

§. 4.

Hæ actiones nihil aliud continent, quam solas utilitates & commoda, quæ ex illis oriri possunt. Nam

*Actiones
conservent*

F 3

ipfa

*Ipsa uirtus
honestas.*

ipsa actio, ossibus meis iactarens, in alium per naturam transire nequit. Ex quo sequitur: quam accurata sit Decisio Juris Romani in §. f. Inst. L. 2. pr. & L. 72. pr. ff. d. V. O. dum inter obligationem dandi & faciendi distinguit, & in illa ipsius rei traditionem requirit, in hac autem solius interesse praestatione eam tolli voluit. v. D. Coccej. Hyp. Inst. L. 3. t. 16. §. 9. p. 102. Etenim res ipsa dari & apprehendi potest, & cum sit in obligatione, tradi praeceps debet: At factum a faciente separari planè nequit v. infr. pos. VIII. ibique comm. §. 2. & 4. Hinc factum promittens, praestando ejus utilitatem & commodum liberatur. add. L. 13. §. 1. ff. d. Re judicat.

§. 5.

*Justitia
conservis in
abstinen-
tia alieni.*

Sicuti autem unicuique à Naturâ & originariè jus est concessum in sua per §. 1. inde fluit: quod operæ & actionis commodum faltem ei debeatur, qui eam actu produxit, & à quo processit, atque hoc sensu cuique in suas res & actiones competere dicitur jus seu facultas legitima. Quapropter is, qui alterius res ejusque utilitates occupat, terminos suæ facultatis excedit & injustè agit. Ex quo apparet, omnem justiam in alieni abstinentia consistere: quemadmodum id ejus definitio in pr. Inst. d. J. & J. & regulæ generalissimæ in §. 3. eod. docent: conf. pos. VII. ibique comm. §. 3.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. V. n. 3.

Jus conservandi, non perdendi, suum corpus
vitamque & alios.

COM-

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. I.

Porro à Natura constitutum est Jus conservandi suum corpus & vitam. Illa Numinis voluntas <sup>Defensio
sui.</sup>

Demonstratur (1) *ex instinctu naturali* pos. IV. n. 1. Nam in omni animantium genere reperimus sollicitam sui conservationem; Cicero L. 1. off. c. 4. Ipsa bruta id ostendunt, optimeque intelligunt, quā corporis parte maxime polleant viribus, se contra invadentes defendendi ac conservandi. Et homo magno impetu ad sui conservationem fertur. D. Kestner. J. N. & G. c. 3. §. 1. (2) *ex facto ipsius Naturae* pos. IV. n. 2. quæ indissolubile vinculum inter animam & corpus constituit. Hoc igitur homo, qui saltem fructuarius suæ vitæ est, nec sibi illam dedit, disrumpere nequit. v. Grot. J. B. & P. L. 2. c. 1. §. 3. (3) *ex bujus actionis fine*: pos. IV. n. 3. Quippe Deus nos sui ipsius causa fecit, ut gloriam illius celebremus; Puffendorf. d. J. N. & G. L. 2. c. 4. §. 16. Inde Dn. Coccej. in Leviathan. §. 5. *homines* vocat *instrumenta glorie divinae*. Nec alium obfinem hominibus singulis vires attribuit Deus, quam ut aliorum insultus propulsent. Grot. d. l. L. 1. c. 2. §. 1. n. 4. (4) *ex medii necessitate*; pos. IV. n. 4. quia aliâ ratione vita defendi nequit, nisi vis vi repelletur.

latur. Dum ergo Autor Naturæ voluit finem, simul voluit media. (5) *ex perfectione divina* ; pos. IV. n. 5. Frustra Deus homini dedisset rationem, si nostri tantum causâ conditi essemus , cum homo sensitivus absque ratione forsan jucundius viveret , nec defectus suos miseramque conditionem cum brutis intelligeret. Frustra Deus creâset terram , mare, fructus & cœtera animalia , nisi homo sese conservaret, illaque omnia in suos usus converteret. Homo membris suis ad necessitatem uti potest & debet, non verò illis abuti, Deus ipse vitæ nostræ proprietarius est, & homini minutam dominii utilis particulam benignissimè concessit, non jus plenum. Grot. L. 3. c. 2. §. 6.

§. 2.

*Defendere
alios sapit
perfectionem.*

At exinde videtur suboriri scrupulus, quod ita non liceat, principem sequi in bello, nec oppressorum causam suscipere. Verùm respondeo : Subditos ad defensionem Reipublicæ indistinctè teneri. Grot. L. 3. c. 19. §. 3. D. Kestn. d. tr. c. 12. §. 12. id quod ex natura summæ potestatis nec minus ex vinculo societatis publicæ ultro sequitur , uti me docuit ; D. Coccej. *in colleg.* Grot. ad L. 2. c. 5. *antefin.* Aliis verò assistere & oppressorum causam defendere , maximum virtutis opus est. Grot. d. l. 1. c. 5. §. 2. n. 1. junct. l. 2. c. 1. §. 8. quæ intra terminos perfectionis , ceu ideæ Creatoris, cum J. N. nunquam pugnat. Ita ipse Servator pro humano genere, & multi pro patria, principe, persona multis utili, mortem obierunt, qui hodieque in gloria vivere creduntur. Conf. Cicero d. l. 1. off. c. 17. Pariter nec illos, qui ea agunt, quæ itationis ac officii ratio postu-

postulat, indeque vitæ finis acceleretur, in legem Naturæ peccare, certum est. D. Budd. d. p. 2. c. 4. sed. 3.
§. 3.

§. 3.

Ex hoc fonte pullulat, maximam & corporis & vita culturam DEUM à nobis desiderare. Quo circa in corpus ejusque vires pro lubitu grassandum non est, nec id intempestivo ac non necessario labore aliâve ratione affligendum. Sed quovis modo conservandum, & hinc contra hostiles invasorum insultus defendendum. Hoc principium ostendit, occisiones, membrorum mutilationes, duella, omniaque, structuram corporis perditura, Juri Naturæ ac divinæ voluntati directò contrariari. v. Grot. d. L. 2. c. 1. §. 3. & seq. Dom. Kestn. d. c. 3. §. 3. &c.

Exegesis.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. V. n. 4.

Societas inter homines, & quæ inde in singulos derivantur jura.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Esse inter creaturas, cumprimis rationales, societatem quandam, extra dubium vulgo ponitur. Ostenditur illa (1) ex propensione naturali; pos. IV. n. 1. Omnes homines ad illam magno G impetu

Societas
à Natura.

impetu rapiuntur , & in eis stimuli ad ineundam societatem delitescunt acres. HOMO EST ANIMAL SOCIALE. Hinc in societate regulariter latus ac fatus , in solitudine æger ac tristis conspicitur. (2) ex *facto divino* ; pos. IV. n. 2. & quidem ex concessione linguae , cuius nullus est usus , nisi in societate. Dum loquimur , cum aliis loquimur. Inde Grot. d. prol. §. 7. Sermonem appellat *Instrumentum societatis*. (3) ex *bijus actionis fine* pos. IV. n. 3. intendit Crea-
tor , ut hoc modo genus humanum propagetur , & mu-
tuis auxiliis , ex societatis studio provenientibus , con-
servetur. Sublatâ igitur societate , tollitur ipse finis ,
(4) ex *medii necessitate* ; pos. IV. n. 4. Fluit illa
ex indigentia humana. Nemo sibi sufficit , sed alte-
rius quisque operâ & auxilio indiget. Pereundem es-
set infantibus ; gravidis ægrotis & brevicum illis toti
humano generi , nisi forent alii , qui ipsi in tali statu
prospicerent. (5) ex *natura perfectissimi Dei* ,
nihil in vanum cōdēntis ; pos. IV. n. 5. At illa omnia ,
quæ oculis videmus , motusque , quos in nobis senti-
mus , frustra procreasset. Nam absque societate ea
ufum habere non videntur. Dn. Kestn. d. l. c. 4. §. 1.
Libenth. Colleg. Pol. Exercit. 2. qu. 1.

§. 2.

*Jura So-
cietas
publica.*

Hanc Societatem , à Natura constitutam , jura
concomitantur , sine quibus subsistere nequit , quorum
præcipua sunt : (1) Imperantium ac parentium ordo
& officia (2) Distributio munerum & honorum ; (3)
Defen-

Defensio famæ & honoris (4) Omnia, ad conservandam societatem necessaria.

§. 3.

Et quidem humana societas absque Imperandi & parendi officiis in columis esse nequit, nisi ipsius membra continuis æqualium assultibus esse exposita, inque tali statu vivere velint, ubi omnia promiscuè geruntur, ferro, flammâ, manibus, pedibus, lapidibusque. Ergo, nisi fallor, vel mutuus metus, vel indigentia occasio fuit, cur primi mortales, vitæ naturæ primævæ, in qua ob hominum malitiam non erat multum securitatis, pacis ac justitiæ, pertæsi, præ libertate obsequium, præ æqualitate Imperium amplecterentur, & sic unum eligerent, vel plures qui potestatem haberent, tuendi singulos eorumque jura: ne rebus, quæ stenebant, exulante justitiâ, & non attento conscientiæ moratu, spoliati, in paupertate vivere inque anxietate mori deberent. Et hæc justitiæ tutio finis fuit unicus Magistratus constituti, uti infra doceatur *in comm. ad pos. XIII. §. 2.*

occasio
Imperii
monstratur
ejusque
finis re-
miseru.

§. 4.

Posito itaque Imperio, necessariò certa constitui munera eaque inter Societatis membra distribui debuerunt. Evidem summa Reipublicæ potestas intra fines territorii omnium munerum, &c., qui eis annexi sunt, honorum fons est ac scaturigo. Cum autem illa per se omnia reipublicæ munia obire nequeat, sed administris opus habeat: hinc in hos portionem in muneris in parte reipublicæ vel justitiæ tuenda derivat, & cum munere dignitatem, adeò ut tantum illi de dignitate seu nobilitate participant, quantum de officio,

Origo Mu-
nerum in
republica.

cio, ut tradit per Ill. Dn. Coccej. *in disp. d. potest. stat.*
Imper. c. I. §. 18.

§. 5.

*effici
famæ in ci-
vitate
ejusque
defensio.*

Illorum munerum & dignitatum non nisi integræ illæsæque famæ homines sunt capaces. Fama est opinio hominum de nostro honore ; cuius fons immò materia est virtus ejusque exercitium. Honor est virtutis æstimatio. Et quemadmodum res precio, quasi mensura quadam, æstimantur : ita generosæ hominum actiones merito suo valent, varieque inde vocantur ; conf. Dn. Coccej. *d. disp. c. I. §. 5.* Illa virtutis taxatio publicè non conspicitur, sed aliorum indiciis ostenditur. Hinc ut adulatione augeri, atque calumniis minui, ita recte defendi potest. Nam ab hoc hominum judicio omnis existimatio aliaque in republica jura dependent. Nec enim ad magistratum, nec dignitatem, nec dicendum testimonium &c. admittuntur, nisi homines famæ incorruptæ. conf. *L. 2. C. d. dignitat.* Et hoc sensu vita & fama pari passu ambulant. add. Dn. Kestner. *J. N. & G. cap. 3. §. 15.*

§. 6.

*en mem-
bris societ-
atis obli-
gentur?*

Cæterum si quis se suaque jura in civitatem conferat, ejusque potestati summæ ac tutelæ submittat, juribus publicæ hujus societatis fruitur. Hinc sponte colligitur : eum esse obligatum ad omnia, sine quibus ipsa societas conservari, vel decreta ejus ad effectum deduci nequeunt. conf. Grotius *in d. proleg. §. 15.* Qui enim intendit finem, nimirum sui ipius ac rerum defensionem, is utique media pro viribus suis dare debet, quia aliàs iste finis nunquam impetratur. Hinc summæ potestati in bona civium suorum jus competit, quate-

quatenus necessarium est ad securitatem & felicitatem
tum publicam civitatis, tum privatam civium. vid. D.
Coccej. d. Disp. d. Summ. pot. §. 15. Latus publicæ hu-
jus societatis jura explicuit idem incomparabilis Coc-
cejus in *praelect. Grotian.* ad Lib. 2. c. 5.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. V. n. 5.

Societas domestica, & quæ pariter inde jura ad
Singula membra descendunt; suis quæque lo-
cis tradenda.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. I.

Ex coniunctione maris & foeminæ nascitur societas
domestica, quæ familia dicitur. Hæc societas
primum specimen vitæ socialis ac reipublicæ se-
minarium, ut ait Cicero *L. i. O. c. 17.* Constituisse il-
lam Supremum Numen à natura probatur (1) ex
instinctu naturali intrinseco pos. IV. n. 1. De-
litescit in mortalium corporibus occultus sed vehe-
mentissimus ignis, ad coniunctionem cum individuo
diversi sexus homines titillans. (2) *ex creatione*
diversi sexus; *pos. IV. n. 2.* Illud discriminæ &
naturalis facultas, hominibus indita, commixtis corpo-
ribus sese propagandi voluntatem Creatoris esse, ut
hanc potentiam naturalem traducant in actum ultro

Matrimo-
nium est à
Natura.

G 3

innuere

innuere videntur. Ill. Thomas: *Jurspr. div. L. 3.*
c. 2. n. 42. (3) ex fine; pos. *IV. n. 3.* qui ad conser-
vationem humani generis tendit. D. Budd. *Elem. pbil.*
pract. p. 2. c. 4. sect. 10. §. 4. (4) ex mediī necessitate;
pos. IV. n. 4. Voluit Deus propagari genus humanum,
ergo simul voluit diversi sexus conjunctionem, sine
qua finis per naturam obtineri nequit. Arist. *L. I. polit.*
c. 2. ibique Gilken. *n. 7.* Unus homo in productione
animalis divini est impotens. (5) *ex natura per-*
fectionis divine; pos. *IV. n. 5.* Potentia concum-
bendi cohabitandique frustranea esset. Semen in cor-
poribus lumbisque humanis ad procreandos posteros
latens effectu careret. Totum humanum genus, omis-
sa hac conjunctione brevi interiret. Terra fructus &
reliqua animantia frustra essent condita, nisi per hanc
societatem humanum genus æternaretur, & in locum
demortuorum viri mulierisque operâ alii surrogaren-
tur, conf. Puffendorf. d. *J. N. & G. I. 6. c. I. §. 2. & 3.*

2.

Mas habet Imperium in familiam, uterque in ceteros.

Singulis familiæ membris naturâ propria compe-
tunt jura, marito in omnes, etiam uxorem, quoad ju-
ra familiæ. Id demonstratur (1) *ex facto ipsius*
Naturæ; pos. *IV. n. 2.* Sexus masculinus tam ra-
tione virium corporis quam facultatum animæ longe
capacior, præstantior ac robustior est sexu fœmineo.
v. Laftant. d. *Opific. Dei cap. 12. ant. fin.* adeoque ad
principatum obtineendum aptior, nisi à natura deserve-
rit, ut inquit Arist. *I. I. pol. c. 12.* ibique Gilken. *n. 4.*
Hinc

Hinc quod fœminæ, utpote debiliori, imperium in marem competit, ex nullo Naturæ indicio probatur. Neque impedit, quod multæ fœminæ prudentiâ ac facultate corporis masculos superaverint, & hodienum superent: Etenim non est comparandum individuum cum individuo sed sexus cum sexu toto, hoc est, perfectissimus masculus cum perfectissima fœmina: Ita canis robustus fortior esse potest parvo leone, exinde tamen generale argumentum deducere velle, oppido est quam iniquum, oppido quam ridiculum. (2) *ex circumstantiis ac natura creationis pos. IV.*

n. 2. Deus principio marem procreavit eique imperium in res mundanas concessit. Hoc uxor postea superveniens afferre non poterat. Ipsa uxor ex costa viri desurta, est pars viri. Pars non potest esse præstantior suo toto. Imò bruta huic rei testimonio sunt, quippe quæ & ipso ductu naturæ ita vivunt, ut mares fœminis imperent, D. Gocklen, *Dis. d. part.*

conjug. special. scđt. 2. qu. 5. (3) *ex natura generationis*: in qua maris partes solum intuendo Naturæ factum omnino sunt præstantiores. Probatâ igitur sexus præstantiâ, simul ostenditur Imperium maris in fœminam. Illa enim rationes suppeditar, quod marito competit in uxorem jus, at non in contrarium. (4) *ex fine & intentione Numinis pos. IV. n. 3.* Sexus distinctio facta est ad concubendum & conjunctim propagandum genus humanum, Imperia enim dominia &c. duplarem sexum non desiderabant. Ceterum uterque conjugus jus habet in cætera

teria familiæ membra : quoniam ambo societatem constituerunt , adeoque pari jure gaudere debent quoad illos , qui potestati illorum subsunt. Si tamen imperia collidant , mariti jus ac conditio ob sexus præstantiam potior est . per jam tradita Grot. d. L. 2. cap. 5. §. 1. & 8.

§. 3.

Parentes
liberos al-
re tenen-
tur.

Hinc uterque conjux naturaliter officium educationis, in quo patria potestas consistit ; v. Celeb. Kestn. J. N. c. 4. §. 11. observare tenetur. Quod probatur (1) *ex motu naturali intrinseco* ; pos. IV. n. 2. quo omnia animalia, etiam bruta, ad alendum partum ex se genitum , subtili propensione feruntur. (2) *ex facto divino* ; pos. IV. n. 2. Concessit Deus foeminis ubera & potentiam lactandi, quam proinde in aetum deducere tenentur. vid. Ariit. l. 7. pol. c. 17. ibi que Gilken. n. 1. (3) *ex fine hujus facti* ; pos. IV. n. 3. qui est conservatio hominum. Natura intendit procreationem, ergo etiam educationem, quia sine hac illa finem haud obtinet. Frustra procreatur, qui non educatur. Qui est causa, ut sim, debet esse causa , ut porro sim. Inde Grot. J. B. & P. l. 2. c. 7. §. 4. n. 1. egregie ait : *Qui dat formam, dat, quæ ad formam sunt necessaria : quare qui causa est, ut homo existat, is, quantum in se est, & quantum necesse est, prospicere ei debet de his, quæ ad vitam huma- uam, idest, naturalem ac socialem, nam ad eam na- turam est homo, sunt necessaria.* Quin ipsa educatio est procreationis continuatio. Habentur hæ pro uno actu,

30

adu, ad maturitatem, ubi quis sui similem procreare
valet, durante, per ill. D. de Prinzen *Diss. d. suec. Il-*
lustr. sect. I. §. 3. (4) *ex mediis necessitate pos.*
IV. n. 4. Omissa educatione, partui necessario per-
eundum foret. conf. Huped. *Diss. d. privil. patris*
membr. I. §. 3. (5) *ex perfectione Numinis;*
pos. IV. n. 5. Hoc, si secus statuamus, motus, instin-
ctus naturales, facultates, imò omnia opera visibilia
in vanum condidisset, quod dicinequit. Igitur mater
de lacte, pater in actu generationis, qui importat edu-
cationem, concurrens, de cæteris alimentis, aliisque
ad vitam necessariis, partui prospicere obligatur. Uti
hæc omnia & alia hujus societatis domesticæ jura solide
explicavit; per ill. Dn. Coccej. in *lect. Grot. ad L. 2. c.*
5. impr. add. D. Keiln. d. c. 4. pass.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. VI.

Intra hos concessæ cuique facultatis fines si quis
disponit, regula est: *prout quisque dispo-*
nit, ita jus est. Dispositio autem est volun-
tatis declaratio, quid fieri, vel non fieri quis velit.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. I.

Vidimus iura, quæ immediate à Natura no- *transfir.*
bis competunt. Tangamus illa, quæ mediante
facto humano acquiruntur. Illa profundi ex
libera

H

libera facultate agendi; pos. I. vi cuius de rebus nostris, prout lubet, disponimus. pos. V. n. 2.

§. 2.

*Requisita
dispositio-
nem.*

Ut autem talis dispositio penitus justa sit, requiri-
tur (1) **facultas justa**, in qua omnis ratio juris
consistit. per pos. II. ibique comm. Hinc si dispositio
sit de re aliena. pos. V. n. 2. vel in se illicita; Grot. d.
L. 2. c. 11. §. 8. n. 2. ipso jure nulla est: per pos. VII. (2)
voluntas: dura enim per voluntatem aliquid fieri
volumus, voluntas necessariò adesse debet. Igitur
dispositio ejus, qui nullum habet judicium, uti *furiōsi*,
vel *imperfectū*, uti *infantis*, vel *erroneum*, uti *er-
rantis*, qui aliquid voluit, quam dispositus, non valet.
Grot. d. l. §. 5. n. 1. (3) **voluntatis declaratio**,
ut sciri possit, quid disponens habere velit: cum me-
ri actus animi efficientiam juris tribuere nequeant.
conf. Grot. d. t. II. §. 11. junct. d. L. 2. c. 6. §. 1. n. 1.

§. 3.

*Cogitatio
non est di-
positio, sed
sufficiens
mentis de-
claratio.*

Huius rei ea imprimis ratio est, quod ita compara-
tum sit cum actibus humanis, ut iura ex iis, quae suf-
ficienter declarata, non quae declaranda sunt, orian-
tur. Nam simplex & in animo latens consensus non
est negotium sive dispositio, de jure suo in aliud trans-
ferendo, sed nuda cogitatio. Unde in eo, quod solā
mente cogitatur, tota negotii, nēdum juris & disposi-
tionis, substantia ac forma deficit: cum ex sola cogi-
tatione nullum placere jus, sed ex eo solo, quod verbis
factisque declaratum est, oriatur. Inde Philosophi
dicunt: Cogitationem maxime propter hominem ip-
sum

sam esse, signa autem propter alios, ut pote cum illa insit in animis, & ut Cicero d. offic. ait: *in se ipsam veritatem*, his vero voluntas inter homines mutuò declaratur. per Iul. Coccej. Dis. d. Eo, *quod justum est in dubio sent.* I. §. 1.

§. 4.

Voluntas, de qua in hac positione agitur, est decreta rei amplectendæ vel non amplectendæ, quam præcedit intellectus & in dubio deliberatio, si nimirum non statim ac primo intuitu circumstantia rei apparent. Quo casu non adeat voluntas, sed ejus suspensio & dubitatio: quia res nondum percepta sed ulterius exploranda est. Ergo nuda potentia volendi hic non exprimitur, sed ipse actus, quo quis decernit, & secum concludit, rem se ita, ut declarat, habere velle, non aliter. Hæc voluntas non potest concipi absque cognitione & scientia. Naturæ voluntatis reponnat, aliquid velle, quod nondum cognitum, cum circa id voluntas per naturam moveri nequit. Hinc regula Philosophorum: *tantum est volitum, quantum est cognitum.* Ad non cogitata voluntas humana non extenditur. D. Kesth. A. l. c. 5. §. 2. Et hæc de primo actu conventionis, nimirum de declaratione voluntatis sive de jure promittentis,

§. 5.

Verum enim vero cum non sufficiat adesse promittentis voluntatem: sequitur nunc alter pactionis actus, æque necessarius, inque *acceptatione* ejus, cui ius acquiri debet, consistens. add: Grot. d. c. II. §. 14. Hobbes. d. l. c. 2. art. 5. Nam ad negotium, quo ius ab

H 2

ab

*acceptatio
ad con-
venienciam
requiriatur.*

ab uno in alium transferendum est, naturā requiritur, ut utriusque consensus concurrat, declareretque alter, sed dare, alter se accipere velle. Ut invito nihil auferri, ita nec invito quicquam obrudi potest. Per III. Coccej. *Diss. de testam. princip. p. 1. §. 18.* Voluntas, quæ tam in promittente quam acceptante requiritur, arguit volentem non invitum. Nec enim mea voluntas te cogere potest, quia quod ego volo, id te non obligat: nec tua me obstringere; quia quod tu vis, id ego pro lubitu recusare possum.

§. 6.

Ergo quamprimum utriusque contrahentis voluntas sufficienter est declarata, alterius de transferendo jure suo, alterius de acceptando, statim adest negotium juris commutatorium. Quo casu disponentium voluntas non amplius libera est, sed ex illa jus translatum. Et quocunque indicio partes mentem suam ita explicant, ut appareat, se jus commutatum, & in alterum translatum velle, jus id alterius ita sit, ut expositum est. *Quia id, quod liberè promissum, & ab altero sponte acceptatum, non futurum est jus promittentis sed acceptantis.* *conf. Puffend. d.l. L.3. §.5.* Nam qui paciscitur, eo, quod paciscitur, frustraneam eam esse actionem negat. Et contra rationem est, scientem frustra facere. v. Hobbes. *discive c. 3. a. 2.* *Enimvero ita voluntatum unio est facta, ut utriusque disponentis consensus adsit, & una momento quasi in centro combinetur.* Ergo non potest non, quin inde obligatio nascatur, utrobique servanda.

§. 7.

Hinc quamdiu acceptatio non est secuta, ~~negotium~~ ne-
gotium imperfectum est, nullaq; exinde juxta immo-
tam Naturæ legem obligatio. v. Grot: *d. c. II. v. 14.*

ante accep-
tationem
non perni-
tere habet.

Ut igitur ipsi promissori liberum sit *pœnitere* quo-
usque acceptatio alterius conventioni cœptæ non-
dum robur admodum daverit. Grot: *d. l. § 16.* Sed id
ideo, quia mens humana re adhuc integrâ non so-
lum naturalem potentiarum mutandi consilium sed &
jus habet. Plane, qui ex consensu non est obligatus
ad præstandum: veluti si alterius promissum alter ac-
ceptare nolit, ei liberum est, non præstare, quod pro-
misit, atq; adeò potest à consensu recedere seu pœni-
tere, cum illam libertatem præstandi non nisi obliga-
tio, qvæ ex commutatione iuris oritur, tollat; per ea
quæ inculcat D. Coccejij *Dissert: d. Jure pœnit. sect. 2.*
§ 13. & passim: Ex his principiis generalissimis tota
conventionum natura non minus accuratè quam soli-
de judicari ac determinari potest.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. VI.

Sin ultra hos fines quid haber vel agit, injuria
Sest, & tenetur vel ad id, quod habet, tribuen-
dum ei, cuius est, vel ad injuriam reparandam.
Reparatio ea fit, cum vel id, quod ablatum est,
vel si id non potest, tantundem restituitur.

COMMENTARIUS AUTORIS.

Causatio.

In antecedentibus per illustris D. *Coccejus* Jus Concessivum inculcavit, ex quo libera agendi facultas est. *per pos. II. ibi; comm. §. 4.* Sequitur nunc præceptivum, ex quo necessitas agendi vel non agendi, sive obligatio oritur. *d. comm: §. 5.*

Fundamen-
tum natu-
ralis obli-
gacionis.

Jure Naturali omnis obligatio exinde est, quod quis terminos facultatis suæ excesserit. Id fit duobus modis [1] *Si ultra suum habeat* (2) *Si ultra suum quid agat*. Inde tenetur ad id, quod alterius est, tribuendum ei, cuius est, vel ad injuriam reparandam. *conf. Got. d. L. 2. c. 10. §. 1. & c. 17. §. 1.* *Pufend. d. l. L. 3. c. 1. §. 2.* Vox INJURIA hic generaliter sumitur, & non solum delictum, sed quicquid ultra suum ex quacunq; causa qvis teneret, ea denotatur.

Motus rei
vocationis.

Enim verò Jus omne inter homines, ex concessione Creatoris oritur *pos. I.* qvi cuiq; id dedit in res suas, non in alterius, *pos. V. n. 2.* Cum ergo omnis creatura absoluто Dei Imperio subjaceat: *pos. III.* indubie sequitur, Creatorem eo ipso, quod agendi libertatem non dedit, abstinenti necessitatem imposuisse *pos. VI. & VII. p.* Quocirca si illud occupatur, quod alienum est illico occupatur, id, quod non est concessum. Atque ita contra prohibitionem Dei agitur & injuria committitur. Quam dum severissime prohibuit Numen justissimum, necessariò tum, cum fit, est repa-

reparanda. Nam quatenus, cum potest, non reparatur, durat injuria, & dura*n*tē injuriā tremenda Numinis vindicta, incujus jura incurſatur. Nequē voluntati Creatoris satisfactum est prius, quam id, quod injus-tē commiſſum, in pristinū statum reducatur: Neque gravius in Deum committitur crimen, quam si eternis ipius Decretis, cum potest, non pareatur.

§. 4.

Factum, quo quis ultra suum *babet*, vel *agit*, est vel licitum vel illicitum. Illud, quando quis in re aliena agit animo tribuendi ei, cuius est, ut in negotiorum gestione, aut justā opītione alienum tenet vel accipit, ut in solutio*n*ē indebiti. Utrumque Jurisprudentia Romanā vocat *quasi contractum* v. D. Coccej. *Hypomn.* *Inst.* l. 3 t. 28. Hoc, quo quis dolosē aut culposē alteri suum auffert. Illo casu Jus Romanum appellat *verum delictum*. D. Coccej. d. tr. l. 4 t. 1. Hoc, *quasi delictum* D. Coccej. d. l. t. 5. Etsi utrumq; factum, tam dolo quam culpa commissum, verum delictum constituit. v. *comm. ad pos.* XII. §. 2. & 3. D. Coccej. *Collat. jurid. coll.* 2. §. 4. Sub factō iHicito etiam continetur non factum, Grot. d. L. 2 c. 4. §. 5. n. 1. seu omisſio ejus, quod jure fieri debuit. Nam dum aliquid agere debeo & non ago, æquè pecco, ac si ago, quod illici-tum est ac prohibitum.

§. 5.

Exinde actio datur ei, qui *minus suo* habet, con-tra illum, qui *plus suo*, et id, quod alterius est, tenet, vel cuius culpa alterius quid abest. Proinde, dum de meo patrimonio est aliquid decerptum, & alterius bonis adiectum; tantum viceſſim de hujus facultatibus est ſepa-

*factum
licitum
commisſum
quasi delictum*

*cui inde
datur actio
ex contra
quem.*

separandum, & meis adjiciendum, ut quisque suum recipiat, nec ego minus meo, nec alter plus suo habeat, sed ut illius intuitu æquales sumus, ut à natura sumus. conf. Grotius d. L. 2. c. 10. §. 2. n. 1.

§. 6.

Injuriæ re-
paratio
vel per
idem vel
per ea eau-
dant.

Illa injuriæ reparatio regulariter in natura fieri debet, sive per *idem*. Nam tum demum res in pristinum statum restituitur. Et obligatio restituendi importat id, quod ablatum est. Si verò id fieri nequeat, sufficit id, quod naturæ proximum est, nimirum reparatio per *tantundem*. Nam res & æstimatio, mensura & mensuratum moraliter idem sunt. Grot. d. l. 2. c. 7. §. 2. n. 1. Et satis fecisse quoq; videtur, qui in quantum potest, satis facit. Ad impossibilia non datur obligatio. conf. per ill. Coccej. Diff. d. Sacr. tal. Is-
re. §. 13. & seqq.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. IX.

Ex dispositione, quæ fit inter plures de re com-
mutanda, jus inde in rem ipsam competit, prout placuit; si *de facto* in personam.

COMMENTARIUS AUTORIS.

f. 1.

Definitio
synallag-
matis.

Dicrum fuit, Jus omne ac obligationem ex dispo-
sitione, quâ quis id, quod habet, le nunc trans-
latu-

laturum, verbis vel factis declarat, oriri. *Pos. VI. supr.*
 Et talis modus vocatur commutatio sive *mutatio*. Hoc
 est negotium Juris commutatorum, quo jus meum
 ita in te transfero, ut in mea persona plane sit extin-
 ctum. D. Coccej. *Disp. d. Jure pœnit. sect. 2. §. 6.* Ejus
 autem commutationis diversi sunt modi atq; effectus,
 paucis nunc attingendi.

§. 2.

Primò igitur, si dispositio justa; *vid. comm. ad pos. VI. §. 2.* de re commutanda sit facta, jus inde in rem ipsam competit. Quoniam voluntas commutandi juris super re declarata, & consensus eorum, qui disponunt in re ipsa fundatur. Quin res, corpus habens, suâ naturâ de uno in alium transferri & ex unius custodia in manus alterius dari & acceptari potest: cum illam dandi & apprehendendi facultatem Natura nobis concesserit. *per pos. IV. n. 2.*

§. 3.

Illa juris translatio, si super re & de re commutanda fiat, jus ut dictum, in rem ipsam oritur, sed *prout placuit*. Sola proinde voluntas disponentium attenenda ac ipsius dispositionis tenor. Nam prout disponentes de jure, quod habent, legem dicunt & disponunt: ita omnino jus est. *pos. VI.* Nec enim hic quæritur de Jure tertii, sed eorum, qui disposuere.

voluntas
disponen-
tium at-
tendenda.

§. 4.

At si conventio *de facto* inita sit, jus in personam-nascitur. Facta enim suo subjecto inseparabiliter cohærent, nec uti retransferringi possunt. Et in ejusmodi dispositione commutatio non super re ipsa, ut

origo juris
in perso-
nâ

in §. 2. sed personæ facto facta est: quod à tali persona non magis avehi potest, quam ipsa facultas agendi ac organorum motus. Unde est, quod in obligationibus faciendi non præstetur factum ipsum, ceu immaterialis personæ qualitas, sed ejus duntaxat utilitas. D. Coccej. *hypomn. Instit. L. 3. t. 16. §. 9.* Inter ea constitutio Juris Romani *in L. 30. ff. d. Judic.* optimè ratione nititur, incommodis litium manus porrigens benignas. conf. D. Linheim. *d. Disput. ad hanc posit.*

TEXTUS COCCEJANI

Pos. IX.

Facultas ista Disponendi tollitur morte, & res hoc jure iterum cedunt occupanti: nec ex isto hoc jure est illa testandi ratio, quæ inter gentes obtinet.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. I.

en statu naturæ primævo omnia Jura morte finiuntur. Jus in facultate legitima consistit. pos. I. & II. **I**n statu naturæ primævo omnia Jura morte finiuntur. Jus in facultate legitima consistit. *pos. I. & II.* quæ non nisi hominis animati est, non cadaveris. D. Kestn. *I. N. C. 13. §. 2.* Sublatâ vitâ, etiam sublatum esse jus debet, propter illam concessum. Ut ergo facultates vitales morte finiuntur. ita quoque reales, ad sustentationem vitæ datae. Mortuus terræ rebus non amplius habet opus. Is nec esurit, nec siti ardet. Quin imò Jura per occupationem quæsita *pos. V. n. 1.* ergo pereunt, eâ cessante: cum occupatio à vivis non mortuis

tuis exerceatur. Mors inquam omnia solvit, res fiunt nullius, oceupanti cedentes. In tali igitur naturæ statu nec data nec necessaria fuit ulla successio.

§. 2.

Hoc principium evidentissimè monstrat: testamenta meri esse Juris positivi non Naturalis. Probatur illud (1) *ex definitione testamenti*: quod est dispositio, quæ, mortuo demum disponente, vim capit ac incipit. Id autem naturaliter fieri nequit, nec dispositio eo tempore incipere, quo disponens non amplius est. Per Ill. Coccej. J. B. & P. pag. 7. qu. 4. (2)

*Nec legit
memoria.*

ex naturali dispositionis forma: Omnis, quæ de J. N. valere debet, dispositio, duorum requirit consensum, alterius, qui declarat, se dare, alterius, qui dicit, se accipere velle. v. comm. ad pos. VI. §. 5. At testamentum, est dispositio solius testatoris, quale negotium, Naturæ legibus adhuc imperfectum nullumq; d. pos. VI. in comm. Imo; hæres acquirit à testatore, vel eo vivo, vel eo mortuo; non eo vivo, cum nondum eo tempore consentit heres: non eo mortuo, cum mortuus non amplius disponit. per §. 1. Et quamvis heres post mortem testatoris acceptet, consensus tamen utriusq; eodem tempore non coincidit, sed ubi heres consentit, testator amplius disponere nequit, quia est mortuus. Ergo actus, ante gestus, est nudus status, ex quo tanquam ex imperfecta dispositione jus nullum oriri potest, quippe nondum translatum.

(3) *ex effectu testamenti*: Hoc totum fictionibus sustinetur, quas I. N. ignorat. Quin testamentum à testatore semper mutari; testatore mortuo ab herede

semper rejici, nec herede præmortuo ad ejus heredem transmitti potest. At à nulla, quæ de J. N. valet aut valere debet, dispositione redere fas est. Ex quibus manifestè appetet, quantopere à J. N. abhorreat illa testandi ratio, quæ inter gentes obtinet. Ut solidissimè ostenditur *in cit. Diff. D. Coccej. d. testam Princip. p. I. §. 18. &c.*

TEXTUS COCCEJANI

Pos. X.

At in locum Juris occupandi rebus prope occupatis surrogatur naturâ successio liberorum in bona à parentibus præmortuis relicta.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Etsi in statu naturali primævo nulla fuerit successio, ne liberorum quidem, sed omnia post mortem defuncti iterum vacaverint bona; *comm. ad pos. preced. §. 1.* attamen in statu terræ jam occupatæ, necessariò in locum Juris occupandi surrogari debuit successio liberorum in bona, à parentibus præmortuis relicta.

§. 2.

*que prob
sur.* Hujus rei veritas ostenditur (1) *ex instinctu naturali parentum. pos. IV. n. 1.* quo ad educationem & conservationem liberorum feruntur eosq; vehe-

vehementer diligunt. Non possunt non parentes, id delicato amore prosequi, quod ex illorum semine & sanguine est compositum. v. d. Kestner *Diss. d. Amore sect. 2. §. 6.* (2) *ex actione Creatoris.* pos IV.
 n. 2. qui liberos, et si mediate, procreavit, adeoq; vult ali. (3) *ex intentione Numinis Divini,* pos. IV. n. 3. quod terram ejusq; res eum in finem condidit, ut homines inde alerentur v. *comm. ad pos. V. §. 2.* Cum itaq; eos non uno actu & facto creaverit, sed ab invicem nasci ordinaverit, nunc quoq; natos in bonis perinde ut in vita genitorum suorum succedere voluit. (4) *ex mediū necessitate;* pos. IV. n. 4. Cum enim crescente hominum numero loca vacua vix amplius supersint, nisi forte sterilia & deserta, recens natis hoc modo prospiciendum fuit, ut succedant in bona suorum parentum, ne illi ab usu terræ, hominibus concessæ, excludantur, vitæq; subficio, cum alia bona nullibi sint, priventur. (5) *ex natura perfectissimi Dei;* pos. IV. n. 5. qui frustra homines produxisset, nisi eis necessaria ad vitam concedere voluisse; uti hæc omnia eleganter dixit & deduxit per Ill. D. Coccej. *in lect Grot. ad L. 2. c. 7.*

§. 3.

Positâ igitur tali modo successione, soli succedunt descendentes legitimi. Reliqui enim, ut ascendentes & collaterales, illud jus in bonis suorum parentum jam exercuerunt. Successio fit propter alimenta, quæ debentur eis qui educandi sunt. At non ascendentes à libe-

liberis sed liberi ab ascendentibus educari debent. v.
comm. ad pos. v. n. 5. §. 3. Innuit id ipsum Naturæ fatum. Habet mater mammae ad lactandum filium filiamq; non filia ubera suis parentibus porrigenda. In liberis, alias perituris, hæc alimenta necessaria, non in parentibus. Igitur alimentatio parentum, virtuti congruit, non jure exigitur. add. D, Kestn. *J.N. o. 13. §. 10.*

*Successio
viventis
non datur.*

§. 4.

Talis successio non incipit nisi post mortem parentum. Successio non fit, nisi in locum vacantem. Ut enim secundus in locum primi succedat, necessarium est, ut talis locus vacet, qui non vacat, parentibus vivis. Deinde Jus successionis surrogatum est in locum Juris occupandi, hujusq; naturam imitatur, & sic non est, nisi in rebus nullius, occupanti demum cedentibus. Parentibus vivis jus in sua bona est quæsumum per occupationem. *pos. V. n. 1. 2. quod illis adimi nequit. pos. VII. ibiq; comm. §. 2. & 3.*

*Bone jus
aliquando
succeden-
ti.*

§. 5.

Ipsum tamen Jus succedendi jam natum est in ipso nativitatis momento. Enim verò id surrogatum in locum Juris occupandi *v. §. 1. 2. & 4 in b. comm.* Quod statim cum homine nascitur, & absq; interveniente ullo hominis facto exerceri potest. *per pos. V. n. 1. 2.* Quid imo ipsi liberieo momento, quo nascuntur, succederent, si parentes tunc decederent. Ex quo conficitur, jus succedendi illis quæsumum esse debere, cum alias id exercere non possint. Nam non entis nullæ sunt qualitates. Juris exercitium Jus supponit, idq; naturali ratione. *comm. ad pos. VI. §. 2. n. 1;*

Ex

§. 6.

Ex hoc fluit: Illud succedendi Jus, in locum Iuris occupandi substitutum, liberis competere in omnia omnino jura, quæ tempore mortis parentum extitère, quantumvis ab eventu suspensa. Qandoquidem & hæc verissima jura audiunt, licet actu exerceri nequeant. Exspectandus proinde eventus, quo existente Juris exercitium incipit. Nec à cæteris alter sunt distincta, nisi quod in illis executio, in his conditio sit, eam suspendens.

§. 7.

Inde non minus decisionem capit Jus repræsentationis: quo nepos, patre mortuo suo avo succedit, & non minus hujus quam illius jura in se derivat. Si quidem is sui parentis personam repræsentat, & eo tempore, quo natus, omne parentis jus, etsi execu^{tio} suspensa, v. §. 5. & 6. acquirit. Cæteroquin vitæ subsidiis planè privari posset, si pater, adhuc in potestate avi constitutus, inops decederet. conf. per Ill. D. Coccej. I. B. & P. pag. 2. qu. 2. & diff. d. Success. Nepot. scilicet. 6. §. 1. &c. Quam successionem repræsentativam Grot. d. L. 2. c. 7. §. 6. vicariam vocat.

Hoc exten-
ditur eti-
am ad e-
ventualia,

Jus repræ-
sentatio-
nis est j. N.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. XI.

Hæc tamen nihil derogat liberrimæ parentum dispositioni inter vivos. At introducto testatorum usu, tota successio per testamenta auferri liberis nequit.

COM-

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

*Parentes
de bonis,
ne luber,
disponant.*

Tametsi successio, in locum occupationis substituta, dicto modo sedem in sacro sanctis Naturæ Decretis habeat: non tamen exinde parentum facultati, de bonis suis, quamdiu vivunt, pro lubitu disponendi, capistrum injicitur. Parentes enim tenent & retinent plenissimum rerum suarum dominium pos. V. n. 2. vi cuius de bonis suis liberâ disponendi potestate fruuntur. pos. VI. ibiq; comm. §. 6.

§. 2.

*Liberi eis
succedunt,
sbona sū-
per fact.*

At exinde satis perplexa dubitandi ratio exsurgit; quod ita liberi jure occupandi vel subsecuto jure succedendi privari queant. Verum repono, id esse verum. Aut tunc non deficit jus occupandi, sed res occupandæ: non jus succedendi, sed objectum successiones. Veluti: quando quis parentibus pauperibus succedit, qui suis nil nisi conceptum miseriae relinquunt: Sive quando in statu terræ primævo loca deserta vel arenosa alicui obvenere: Vel quando ob defectum virium & imbecillitatem, nonnulli in occupando impediti vel præventi fuere. Igitur parentibus vivis, dispositionem de suis negare velle, Juri Naturæ directò reclamat. Liberorum Juri inest conditio, si quid parentibus defunctis superfuerit. D. Coccej. *Difserit. d. Legit. ejusq; necess. prestat. tb. i. in fin.*

§. 3.

*origo legis
etim.*

Verum enim verò, ex quo testamentorum usus, Jure Naturali incognitus; vid. comm. ad pos. IX. §. 2. Gentil-

Gentibus innotuit, illa parentum dispositio limitationem est adepta. Possunt illi de bonis suis legem dicere, sed salvâ liberis legitimâ, in præstatione alimenterum, quæ omnia animalia ex se natis tribuunt, innuente id ipsius Naturæ impulsu, consistente. Grot, d. L. 2. c. 7. §. 4. n. 2. Ergo legitima *materialiter*, sive quatenus continet alimenta necessaria, est J. N- at *formaliter* quatenus certam bonorum quantitatem importat; Juris positivi; ut tradit par nobile JCtorum D. Stryckius p. m. *de cautel. testam. cap. 17. membr.* i. §. 3. & D. Coccej. *in d. Disp. tb. 1. & 2.* Ipsa Romanorum Jurisprudentia peculiarem ei formam adfricuit. v. Nov. 18. c. 1. D. Coccej. *hypomn. Inst. L. 2. t. 18. §. 6.* D. Ludovici *Doctrin. pandect. ad tit. d. Inoff. testament. §. 5.*

TEXTUS COCCEJANI

Pof. XII.

Delicta & poenæ materiâ conveniunt, & utraque in privatione Jurium nostrorum consistunt. At differunt causâ: In illis privatio hæc fit in justè ab eo, qui privandi Jus non habet: In his justè à Judice qui tale jus habet ad emendandos homines.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. I.

Debarent quidem homines rebus, à Supremo Naturæ Arbitro sibi in res suas earumque commoda

Origo patrum.

da concessis pos. V. n. 1. 2. esse contenti, nec aliorum involare in jura; per pos. VII. sed deberent. Qvoniam verò homines non sunt Angeli sed sunt homines; qui ad omne malum celeri conatu erumpunt, & libenter ex proximorum suorum præsepibus optima quæque illicite extrahunt: ita remedia sunt necessaria, quibus isthæc hominum malitia ac alias lædendi temeritas coercentur. Prior actus *delictum*, posterior vocatur *pœna*. Illud est Juris oppositum: Hæc ipsius delicti effectus.

§. 2.

*Definitio
delicti.*

Delictum naturaliter est *omnis actus illicitus ejus, qui scit vel scire potuit, esse illicitum*. Ut autem exinde homines teneantur, necessum fuit, illos instruere tum *intellectu*, quo, quod interdictum, intelligere, tum *voluntate*, quâ actionibus suis imperare ac legem dicere, consequenter eas juxta præcepti naturalis tenorem dirigere ac moderari possent. Utique enim is, qui ex prohibitione obligari debet, eandem intelligat, requiritur.

§. 3.

*Obligatio
ex delicto.*

Hinc cum Divinus Naturæ Autor utramque facultatem nobis dederit, nec adeo quicquam, quod ad observationem istius Decreti immortalis desideratur, deficiat: indubie sequitur, toties, quoties contra illud aliquid fit, quod adhibitis facultatibns concessis, præeaveri potuit, homines delinquere, adeoque pœnam mereri. conf. D. Coccej, Coll. Jurid. Collat. 2. pag. 5.

§. 2. & §. 3.

§. 4.

Illud principium ulterius monstrat, hanç Naturæ obligationem cessare, si quid sciri vel impediri viribus humanis non possit. Contradictorium est: agendi facultatem abesse, et tamen obligationem, ex illa profluente, adesse: Legem non percipere, & nihilominus exinde constringi. Profectò cuius agendi potestatē DEUS haud dedit, nec illud illum velle dici potest. Impossibilium obligatio nec concipitur nec datur.

§. 5.

Igitur ad omne delictum duo coniunctim sunt necessaria. (1) materiale seu factum ipsum (2) formale si-
ve vitium hominis, illi illico actui accessus. Illud etiam in infantes, furiosos & alios, usu rationis destitutos, cadit: utpote qui æquè agendi facultate prædicti: Hoc non item, cum facultate intelligendi careant, atque sic per naturam cognoscere nequeant, an terminos facultatis suæ excesserint, & in alieno quid egerint, contra æternum Naturæ Decretum.

§. 6.

Delicto commisso, sequitur pœna. Hæc illius effectus, & æstimatio. pœna est *privatio boni vel juris nostri obdelictum*: seu ut Grotius d. L. 2. c. 20. §. 1. ait: *malum passionis, quod infligitur ob malum actionis.* Ubi ergo non est delictum seu meritum, ibi nec pœna concipi potest: per Ill. Coccej. *Diss. d. Oblig. hered. sect. 2. §. 7.* Homo naturaliter ob quemvis actum illicitum tenetur ad talionem. pos. VII. qnæ est: *Juris ablati pensatio seu injuria ac damni redintegratio,* Dñ. Coccej. *Diss. cit. d. Sacos. talion. Jure. §. 6.*

K 2

§. 7.

§. 7.

*Delicium
Et poena
conveni-
ans?*

Delictum & poena materiâ conveniunt: quia utrumque privationem Jurium involvit. Sic fur malitiosus domum meam ingreditur, eamque vivendi mediis emungit: furibundus latro collum abscindit vitamque auffert; Diffamator famœ inurit maculam, atque ita omnes jure quodam me privant. Sed Magistratus vicissim ejusmodi nebulonibus jus, si quod habent, adimit, vel in corpore eos punit. Illi perditionis filii, illicite & extraterminos facultatis concessæ agunt, pos. VII. Hic licite & vi sui officii, v. comm. ad pos. XIII. §. 5. ut criminum illecebris via præcludatur peccandiique paroxysmi paululum reprimantur. Et ita causâ differunt.

*Finis pa-
narum &
cui jus
competat?*

§. 8.

Poena est vel reparatoria vel vindictoria. Illius finis, est damni dati restitutio. Injuria qvippe non definit, nisi reparatio plenè facta sit. v. comm. ad pos. VII. §. 3. Hujus emendatio tum ipsius delinquentis, qui ad resipiscendum inducitur, tum aliorum, qui à delictis deterrentur. Utramque infligit solus Magistratus. Nam poena sequitur migrationem legis, ergo qui leges fert, etiam punit. v. D. Buddæi *Elem. cii. p. 2. c. 5. sect. I. §. 7. &c seqq.* Quo circa male putat Grotius d. l. L. 3. c. 20. §. 3. 7. & seqq executionem pœnæ cuivis, modo judicio valeat, competere: cujus errorem invictissimis argumentis détegit per III. D. Coccejus in *prefect. Grot. add. c. 20.*

Tex-

TEXTUS COCCEJANI

Pos. XIII.

Ad hæc jura regenda & contra invitatos executiva
necessaria est in terris potestas, quæ non
alia esse potest, quam generis humani: quod per
territoria & partes terrarum ergo in plures civitates
divisum est.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Hucusque Vir omni elogio major, Dominus Coc-
cejus, exposuit Jus Naturæ privatum: Sequi-
tur nunc publicum, quod absolvitur officio Ma-
gistratus seu summæ potestatis,

§. 2.

Potestatem hanc esse à Natura constitutam appa- *origo sum-
ret (1) ex facto ipsius Naturæ pos. IV. n. 2. quæ ma potes-
terram hominibus concessit, juraque inter illos consti-
tuit. pos. V. n. 1. 2. & comm. pos. VII. §. 3. Dum ergo illa im-
mediate exerceat, exinde collat: Supremū Numen hanc
potestatem alteri, per quem voluntatem & jus suum ex-
equeretur concessam voluisse, & is est ac dicitur summa
potestas. D. Coccej. *Dis. d. summ. potest. §. 1. & Levi-
abb. refutat & expos. §. 10. &c. (2) ex intentione*
sanctissimi Creatoris; pos. IV. n. 3. quæ est ju-
stitia*

stitia, pax & tranquillitas; ne homines turbulenti & petulantes aliis suum vi ac corporis robore inter milie pericula afferant. conf. Budd. d. l. c. 4. sect. 13. §. 6.

¶ 7. (3) *ex mediæ necessitate*; pos. IV. n. 4. Sinon esset summa potestas publica, nulla domus, familia, civitas salva sanaque esse poterat. Homo homini non lupus solum sed ipse foret diabolus; add. Pufend. d. offic. hom. & Civ. L. 1. c. 3. §. 4. & seqq. Videremus certe turbam, ubi nemo audit neminem, sed ubi omnia promiscue sine lege & Rege geruntur. vid. Pufend. d. J. N. & G. L. 7. c. 1. §. 7. D. Kestn. d. l. c. 7. §. 1. ibique alleg. Grot. & Hobbes: (4) *ex perfectione Numinis divini*; pos. IV. n. 5. quod jura, res & homines frustra procreasset, nisi potestas suprema hisce omnibus ex delegatione Divina legem diceret, normamque poneret. Et hæc est summæ potestatis origo.

§. 3.

*summæ
potestas
competit
toti huma-
no generi.*

Hanc supremam potestatem Numinis vicariam hisce in terris Sapientissimus rerum opifex non uni, non meliori, non prudentiori, non certis hominibus nec alii potentia sed universæ societati humana concessit. Datum scilicet est toti humano generi Ius plenum in hanc terram ejusque res; pos. V. n. 1. Ergo & summa potestas. Nec enim homo in hominem naturâ potestatem habet, utpote qui omnes æqualiter facultatibus à Natura sunt instructi & sine discrimine potestatis in hanc terram conditi: Nam & Natura homines infantes producit, qui nullam secum potestatem à natura afferunt, sed potius in potestate parentum nascentur: Et terram sine ulla dominiorum distincti-

stinctione & fine certis finibus condidit, nec alii præ alio in ea quicquam attribuit, ut neutrâ ratione alii aliis potentiores. D. Coccej. d. *Diss. d. summ. potest.* §. 2. Denique concessum est cuique jus in suas res; *pos. V.* n. 2. non igitur in alios Imperium.

§. 4.

Etsi autem ita, ut dictum, dominuntur publicum seu Imperium in terram, eamque incolentes homines, humano generi naturâ transcriptum sit, evidens tamen est, impleto hominibus terrarum orbe, Imperia neque communi hominum, per universam terram dispersorum, consensu decerni, neque decreta, & si uni populo vel personæ committerentur, ad omnes terrarum partes deferri, nedum ubique locorum in effectum & executionem deduci potuisse. Hinc ipsa naturæ necessitas eð rem deduxit, hominesque adegit, ut partes magnæ hujus societatis humanæ facerent, atque in plures civitates, certis terrarum finibus ac regionibus circumscriptas, discederent, quarum quælibet idem summum Imperium intra hos fines habet, quod ante divisionem tota humana societas in universam terram. Qvæ omnia ac singula his verbis expavit per Ill. Coccej. in *alleg. diss. d. Domin. Orbis cap. I. §. 8. per tot.*

§. 5.

Isthæc summa potestas consistit in solo munere tuendi Juris publici ac privati: qvorum causa omnis potestas omneque Imperium unicè est constitutum. v. D. Coccej. *Diss. d. Jur. victor.* §. 4. Eoque solo legitimus Magistratus à Tyranno distinguitur: cuius factum est injuria, non juris sed injustitiae defensio. Talis perso-

*Et terris
distribuitur
cuique so-
cietas in
suos circos.*

*Essentia
summa po-
tentiarum.*

persona non publica est sed privata, non sacrosancta
sed abominabilis. D. Coccej. *Diss. d. Imper. in pares* §. 3.

TEXTUS COCCEJANI

Pos. XIV.

Jus hujus potestatis in proprium territorium c-
Jusque membra Imperium dicitur; in extra-
neos, Bellum est.

COMMENTARIUS AUTORIS.

§. 1.

Connexio.

Firmato in præcedente positione jure summæ po-
testatis, cuius tota essentia in sacrosancta juris
tuitio vertitur: succedunt modi, quibus illa ex-
pediatur.

§. 2.

*Differen-
tia Imperii
G. Belli.*

Illam autem sacram Juris ac Justitiae administra-
tionem dupli potestate exequuntur principes: Im-
perio vel Bello. Illud in subditos exercetur, qui po-
testati nostræ subjecti, indistinctè parere tenentur for-
midine pœnæ: Hoc extraneorum, qui imperium no-
strum non agnoscant, injurias propulsat, & à nobis
nostrisque amovet. Illud exercet Imperans, tanquam
Judex suorum subditorum: Hoc non ut judex sed ut
pars, sententiam à Deo, causæ justitiam armis mode-
raturo, exspectans; lege D. Coccej. *Disp. D. Just. præl.
exit.* Illud à sola potestate summa exercetur: Hoc in
casu deficientis judicis ab uno quovis. Illud est inter
Impe

Imperantem & parentem adeoque inter inæquales;
Hoc inter solas summas potestates regulariter, adeo-
que inter pares. Illud territorii finibus includitur:
Hoc terminos non habet.

§. 3.

Bellum est potestas, jus nostrum vi vindicandi ab extraneis, à quibus Imperio, cui subiecti non sunt, non possumus. Hinc jam belli justitia probatur (1) *ex motu naturali*; pos. IV. n. 1. quern animalia ad unum omnia sentiunt, & simul ac nascuntur, ad sui defensionem magno impetu feruntur. Budd. d. l. c. 5. sect. 2. §. 2. ut è contra ab interitu iisque rebus, quæ interitum videantur afferre, alienantur, Grot. d. L. 1. c. 2. §. 1. n. 1. (2) *ex actione Creatoris*; pos. IV. n. 2. qui jura hominibus constituit, eaque & se defendendi facultatem (3) *ex fine constituti Magistratus*; per pos. IV. n. 3. qui non nisi solius justitiae causa à Natura statutus. v. comm. ad pos. XIII. §. 5. (4) *ex medii necessitate*; pos. IV. n. 4. Cum enim Jura nostra ab aliis, qui nullis Imperii habenis constrin-
guntur sed in excelsò vivunt, non nisi jure belli ac potestate armorum recuperari queant; necessariò iste modus esse licitus debet, quo finis impetretur. Concesso jure, simul concessa sunt media, ad obtinendum finem ne-cessaria. D. Coccej. d. Arm. Illicit. §. 12. & seqq. (5) *ex Natura perfectissimi Numinis*; pos. IV. n. 5. cui è diametro contrariatur, facultates juraque hominibus esse constituta, & tamen defensionem illis

*Justitia
Bellum pro-
tector.*

L

adem-

ademtam. v. D. Coccejus *d. Jure victorie* §. 7. Certè si uni cuivis privato data est facultas, se suaque defendendi; *pos. V. n. 2.* & *3.* multo magis universo populo.

§. 4.

*cuncta Belli
injustitia quae?*

Facultas bellandi toties adest, quoties necessitas juris nostri defendendi vel recuperandi, & hinc injuria, actu illata, non inferenda, justa bellum gerendi causa est. Cum enim hoc sit defensio juris contra injuriam, non potest per naturam ea reparari, quæ nondum facta, nec jus defendi, quod nondum ablatum est. Et quemadmodum in privatis nemo conveniri potest, nisi in juriam quis sibi illatam probet, tum cum acturus est: ita nec in belli alea juris tuitio est licita, nisi nostrum vi sit abruptum. Omne igitur bellum ejusque justitia sola necessitate defendendi Juris Sui excusat. *per §. præced.* C. Coccej. *Disp. d. Armis Illicit.* §. 12. & seqq.

§. 5.

*Bellum ge-
rit solus
princeps.*

Competit Juſ tale non nisi soli in civitate Princi-
pi, Superiorē non agnoscēti. Alberic. Gentilis *d. Jure Belli Lib. 2. cap. 3. in pr.* Qui verò alieno Impe-
rio parent, belligerāndi Jure carent. Hi proinde co-
ram suo Magistratu conveniēti sunt. Et hic, si ju-
stitiā administrare nolit, ipse hostis est, vi hostili su-
bigendus. Ex quo colligitur, Magistratum, qui alte-
rius iussibus obstringitur, Jure belli non gaudere, ni-
fi (1) ex mandato superioris, quō casu bellum non suo
sed superioris nomine gerit. Vel (2) jure privatæ de-
fensionis, nemini mortalium denegandæ. *pos. V. n. 3.*
ibique comm. §. 1. Qualia & alia sacrosancta belli Jura
egregie solideque exposuit per Ill: D. Coccejus *in Dis-
curs.*

curs. Grot. ad L. 1. cap. 3. conf. D. Kestn. d. l. cap. 9.
& 10.

TEXTUS COCCEJANI

pos. XV.

A jure longè differt virtutis notio. Illo alteri,
quod illius est, tribuimus; hâc, quod nostrum
est, vel perficimus, vel in alium conferimus.

COMMENTARIUS AUTORIS

§. 1.

Expositis principiis Juris Naturæ generalissimis, *transfisi:*
ex quibus omnes ac singuli augustissimi hujus ju-
ris casus per legitimam consequentiam facili ne-
gotio determinari possunt: ultimò paucis examinan-
da venit accurata Juris & virtutis differentia.

§. 2.

Scilicet (1) tota *Juris* ratio, forma ac substantia
in eo versatur, ut cuiq; suum tribuamus, quemadmo-
dum id ipsius definitio in *pr. Inst. d. Just. & Jur.* &
in l. 10. pr. ff. eod. satis innuit. Hinc circa aliena occu-
patur. Nam quod alterius est, de eo nihil disponimus.
pos. V. n. 2. & pos. VI. ibiq; comm. §. 2. At *virtus* om-
nis in puritate, propensione ac perfectione animi in-
que re nostra vertitur: confer *Senec. L. 4. d. benef.*
c. 14. & d. l. L. 7. c. 4. vel nostra ipsa *perficiendo;*
ut parsimoniam, temperantiam, prudentiam &c. vel *in a-*
lios conferendo; ut liberalitate, misericordiam, ge-

L 2

nero-

nerositate &c. Et quicquid liberaliter, quicquid benefice quicquid comiter tribuimus aliis, de nostro non alieno tribuimus.

*Jus obligat, non
virtus.*

§. 3.

Hinc (2) ad *jus* obligamur ex præcisa necessitate reparandæ injuriæ, quæ tamdiu durat, donec res ablatæ in pristinum statum plenè restituatur. *prof. VII.* *ibid; comm.* Ad *virtutis* exercitium inter homines propriæ non est obligatio sive necessitas, sed illæ eorum arbitrio & religioni juxta suam indolem sunt relictæ. vid. Lactant: *L. 5. c. 20.* Senec. *d. l. L. 3. c. 7.* In eo enim, qui legis vinculo compulsus, aliquid facere tenetur, omnis ratio virtutis perfectionisq; evanescit: cum talis actus non ex voluntate agentis libera-nendum ejus perfectione, sed ex necessitate præcepti procedat. Verum non agere ultro, sed ad agendum adigi, non virtus est, nec perfectio sed maxima imperfæctio. Et nullus puto sanæ mentis homo, eum liberalitatem exercere, credet, qui dare cogitur, vel cui res citra voluntatem vi extorquetur. Ita, si quid *jure* mihi debes, id vitibi, aut tantundem è bonis tuis auferri, aut si illud ipse teneo, retineri à me potest. At nihil magis ridiculum esset, quam si contendam, ut rem tuam, si forte egeo, ex *liberalitate* mihi dones aut si nolis, eam tibi viauferri petam, aut si casu eam teneo, retinere illam velim, nec tibi restituere, ut ait D. Coccej. *Diss. d. Antidor.* tit 2. §. 8. & seqq.

§. 4.

*Juris
transgressio
penitentia.
non virtus
sunt omnes.*

Si (3) contra *jus* ago, ilhidq; omitto, pœnas pati debeo: non si *virtutem*. Ita si tibi invito pecuniam aliaque bona furto auferro, vel quando te injuriis afficio,

ficio, vel membris vulnus infligo, pœnis justè coërcor, & ad damni restitutionem condemnor. *per pos.*
VII. & XII. ibique comm. At incongruum certè vide-
 retur, si Magistratus homines ob intermissam fortitu-
 dinem, vel ob neglectam liberalitatem &c. punire
 vellet. Cum tamen, si eadem ad virtutes, quæ qui-
 dem ad jura esset obligatio, iidem effectus utrobique
 statui deberent.

§. 5.

Planè (4) si *jas* plenissimè exerceo, nihil mereor,
 quia feci, quod facere debui. v. *Luc. c. 17. v. 10. Math.*
c. 25. v. 30. Et ideo poenas, in transgressores statu-
 tas, evito. At si *virtutis* exercitio utor, præmia con-
 sequor. Cum enim omnis virtus in perfectione con-
 sistat, Deus autem sit ens perfectissimum, quod vir-
 tutes & vitia pari passu habere nequit: sequitur ne-
 cessariò, & ipsa Natura perfectionis divinæ monstrat,
 Deum omni virtuti destinâsse præmium, neque ad-
 eo vitia & virtutes pari gradu aestimare, consequenter
 virtutes sua haud carere mercede. Et cum illa præ-
 miorum distributio in hac vita sequi non soleat, ulterius
 concludendum omnino est, aliam fore vitam, ubi
 illa remuneratio bonorum quia suum cuique operi
 meritum justissimâ lance tribuetur. confer *i. Cor. 3. v.*
8. 2. Cor. 9. v. 6. Gal. c. 6. §. 4. Rom. 2. v. 6. &c. Matth.
c. 19. v. 21. Matth. c. 25. v. 21. Luc. 6. v. 35. add. D. Coc-
cej. in d. tract. p. I. qu. 4. §. 13.

*Jus non producit
merita, sed
ne virtus.*

§. 6.

Porro (5) *jus* sine superiori per naturam concipi
 nequit: cum enim exinde oriatur obligatio, necessa-
 ria superior aliquis, qui reluctantantes pœnis coërcere

*Jus non est
sine super-
riori, bene-
dictus*

L 3

valeat,


valeat, esse debet. At omnino *virtus* absque superiori concipi & ab inferiori quoque inculcari potest: quia in docendo, monendo, persuadendo consistit. Et hæc facultas unicuique etiam privato permissa est. D. Coccej. *jurispr. publ. c. 18. sect. 1. §. 1. & 2.* Quæ sententia rationi; novo fœderi; Gentium morationum suffragiis; Jurisprudentiæ Romanæ; Pontificum Decretis & usui congruit: uti elegantissimè demonstrat ill. D. Sam. Coccej. *d. qu. 4. per tot.*

§. 7.

Epilogus.

Etsi verò ad virtutes suo quoque sensu obligemur, alia tamen mehercle est obligatio, quæ ex *jure*, & alia, quæ ex *virtute* oritur: uti ad oculum demonstrari posset, nisi prudentiæ regulæ silentium imponerent. Interea, unusquisque suam vitam cautè gerat atque examinet, ne tandem aliquando in extremo judicii die ob neglectum *Juris Naturalis* præceptorum puniatur, sed ut ob laudabile Deoque gratissimum virtutis exercitium præmia, ei à perfectissimo bonorum largitore ac præmiorum dispensatore destinata, consequatur. Nunc verò.

Gloria in excelsis DEO.



Errata

Errata graviora, quæ citra Auctoris absentis desiderium irrepserunt, sequentem in modum sunt corrigenda.

Pag. I. lin. 6. *lege positiones*. p. 4. l. 22. l. profus. p. 5. l. 9. l. obelisco.
¶ lin. alii, cuiuslibet. p. 10. l. 16. l. haberi. p. 12. l. 10. l. constitut. p. 21. l. 7. *lege*
restricta. p. 23. l. 22. *sémet dele* voc. gaudet. p. 26. l. 24. l. memoriam p. 29. l.
19. l. mentio. p. 46. l. 22. l. justitiam. p. 49. l. 5. in margine dele: parenthesi liberos alere tenentur: ¶ substituo: exegelis. p. 61. l. 2. *dolo postersus*: non p.
63. l. 22. l. omissio. p. 65. l. 4. l. persona. p. 66. l. 6. l. interca. p. 68. l. 3. l. re-
cedere. p. 71. l. 5. l. quandoquidem. p. 72. l. 17. l. parentibus. p. 75. l. 13. l. ac-
cedens. p. 77. l. 6. *dele* voc. ergo: ¶ pone i. p. 77. l. 18. ante voc. exercet, pone: non. p. 77. l. 19. l. constat. p. 78. l. 9. l. omnia. p. 81. l. 23. ante vocem concessa pone concessio jure.

Minora autem in relegendo præterita, sed à sermonis Romani peritis facile observanda, B. C. & excusanda & emendanda relinquo.

Österreichische Nationalbibliothek



+2170069800

Digitized by Google

